G. HADDONI LEGVM DOCTORIS, S. REGINÆ Elisabethæ à supplicum libellis, *lucubrationes paßim collectæ, & editæ.*

Studio & labore Thomæ Hatcheri Cantabrigiensis.

Ad lectorem.

Ne quæras lector, cur quæ iuueniliter olim
Scripserat Haddonus, publica facta legas.
Omnia coniunxi, quia mel, quia succus in illis,
Et condita suo quæq; lepôre iuuant.

LONDINI,
Apud Gulielmum Seresium.
1567.

IN D. GVALTERI HADDONI PRAE-
clarissimas lucubrationes, per Thomam Hatche-
tum collectas, epigramma Ioannis
Freri medicinae doctoris.

ELoquium quis non Ciceronis laudet, & artem,
Quis non Nasonis nobile carmen amet?
Cui non Sedulius, Prudentius atq; Iuuencus
In pretio? Quis non scripta vetusta probet?
Quemlibet istorum quis non miretur? Et vnum
Haddonum cunctis quis neget esse parem?
Atquî si nimium cuiquam dixisse videbor,
Hæc legat, & dictum dixerit esse parum.
Hisq; ita quòd fruimur, magni est, Hatchere, laboris
Omne tui, & laudes, quas decet, indè feres.
Nam quantũ Hipparcho debet, studiosus Homeri,
Tantum doctorum turba Latina tibi.

In easdem, Abrahamus Hartwellus.

IVdicio variant docti, indoctiq; ferendo:
Indocto citius fulmen ab ore venit.
Forsàn erit qui te lasciuo iudicet ore,
Haddone, eloquij pieridumq; decus:
Forsàn is eloquio, si sit certare necesse,
Non asinos posit, non superare boues.

CLARISSIMO VIRO D. GVLIELMO Cecilio equiti, serenissimæ reginæ *Elisabethæ, cum à secretis, tum à consi*lijs, & academiæ Cantabrigiensis cancellario dignissimo.



TSI NON IGnorem, *præstantissime vir, occultas esse hominum voluntates, multiplices sententias, & cogitationes propè infinitas, adeò vt de plerisq; eorum iudicare non minus sit periculosum, quàm difficile omnibus satisfacere, qui has à me collectas ornatissimi Haddoni lucubrationes perlecturi sunt: me tamen neq; periculi magnitudo, neq; rei difficultas, quicquam deterrere potuerunt, quo minus quod liberè ante aliquot annos cœpi facere, id nũc libẽter perficerẽ. Dum enim Cantabrigiæ in collegio regio, excussis diligenter, & euentilatis monumentis, illud inprimis scire desyderarem, quantum singuli, regijs illustrissimi Henrici sexti impensis ad pietatem, absolutamq; scientiarum cognitionem enutriti, literariã*

rempub. non solum vita, sed & scriptis illustrassent: comparatisq́, quorum potui, ingeniorum commentatiunculis, præstitisse vnum omnibus Haddonum perspicerem: magna profectò voluptate perfusus reliquas illius commentationes peruolutandi, cõplures vndiq́ dispersas, & dissipatas conquisiui. Quarum cum vsus multiplex sit, eloquentia tanta, vt & allicere lectorem, & detinere possit, fructus tam immensus, vt ad plurimos deriuari potius, quàm in angustiis musæi nostri spatijs delitescere debeant, victus etiam studiosorum quorundam clamoribus, & importunitate, qui editionem à me flagitabant: eas ego tandem non multò minori cura, fortassè etiam maiori labore excusas diuulgo, quàm ab ipso authore primùm sunt aut excogitatæ, aut mandatæ chartis. Vt enim typographiæ molestias, quæ me potissimùm afflixerunt, prætermittam, & de illo verè, sed breuiter, vt res se habet, loquar, inter præclaras illius virtutes, quibus docti viri, & eloquentis nomen consequutus est, illa non fuit sanè antehac, nec adhuc est, minima, quòd paruo tempore, minimoq́ negotio res maximas sciẽter, & artificiosè pertractare posset.

ſet. Cantabrigienſis autem alumni fœtus iſti, Cantabrigiæ, vt plurimùm, nati & veſtiti, nemini, meo iudicio, aptius poſſunt, aut debent quidem iuſtius conſecrari, quàm Cantabrigienſis academiæ ſummo ornamento: hominis in regio collegio alti, & educati, quod Ioannis Langtoni, academiæ olim cancellarij, rogatu fundatum eſt, quàm præſenti academiæ cancellario, qui de regio collegio præclarè, de vniuerſa academia optimè meritus eſt: diſerti viri, & ingenio excellentis, quàm ei, qui tam multa atq; magna, non ſolum eloquentiæ, & acuminis, ſed conſilij etiam, atq; ſapientiæ teſtimonia dedit, quanta amorem ſuijpſius incredibilem apud prudentiſsimos, admirationem ſempiternam apud omnes iampridem excitarũt. Has ergo lucubrationes, clariſsime Cecili, tam multis nominibus, ſub fœliciſsimo nominis tui patrocinio in lucem exeuntes ita ſuſcipias, vt quomodo rei ipſius rationem vehementer es approbaturus, ita officij, & obſeruantiæ monumentũ hoc erga te meæ, non improbaſſe videare. Vale. Londini. 20. Nouembris. 1567.

Tuæ dignitatis ſtudioſiſsimus,

Thomas Hatcherus.

THOMAS WILSONVS LEGVM doctor, Thomæ Hatchero suo. S. D. P.



Micè facis, & peramanter, mi Hatchere, quòd tam diligentem te ostendis in perquirendis ornatissimi Haddoni lucubrationibus omnis generis. Nam cum is Cantabrigiæ lumen, & ornamentum, suauissimo sæpè sermone suo, & dicendi præstantia, omnes nos in admirationem sui traxisset: iam tua opera effectũ est, vt ob oculos ponantur nostros, multa eius præclarè dicta, ab aspectus nostri iudicio huc vsque longè remotissima. Cum verò oculorum iudicium acutius sit, & certius, quàm sensus aurium, & ea maximè animis affigantur nostris, quę oculorum commendatione nobis traduntur: tu certè tua industria illa nobis legenda exhibes monumenta, quæ nos sæpè, & tam auidè olim

auribus

auribus arripuimus, quæ nunc fortaſſis euolauerunt, vt ea nimirum, quæ audiendo complecti, aut retinere vix olim poſſemus, nunc intuendo planè, & ob oculos ponendo, perpetuò teneremus. Apum induſtria ex varijs floribus mel colligit, & in fauum recondit. Tu ſparſim collecta, & è tenebris eruta in vnum ſegregas locum, vt guſtum præbeant ſuauiſſimũ, & omnibus ſe videnda, atque adeo arripienda, offerre videantur. Et hac quidem tua induſtria, multorum colliges beneuolentias, & eorum omnium emereberis fauorem, & gratiam, quorum animi ad virtutis ſtudium, & ad dicendi facultatem, vllo modo incitantur. Nã qui hunc tuum laborem reprehendit, improbus eſt, qui non agnoſcit, ingratus, qui probat, humanus, qui imitatur, vir bonus meritò dici poteſt. Vale. Ex Xenodochio apud ſanctam Katherinam iuxta turrim Londinenſem, Calendis Iulij.

1567.

INDEX ORATIONVM

G. Haddoni.

De laudibus eloquentiæ. fol. 1
In admissione Bacchalaureorum Cantabrigiensium, oratio. 9
De laude scientiarum. 17
Oratio theologica. 36
Oratio, quã habuit, cum exordiretur legũ interpretationẽ. 57
De obitu D. Martini Buceri. 84
De obitu Suffolciensiũ fratrũ. 89
Exhortatio ad literas. 109
Oratio habita Cantabrigiæ, cum ibi inter cæteros visitator regius versaretur. 134
Ad pueros AEtonenses. 141

INDEX EORVM, AD QVOS

missæ sunt epistolæ.

Carolo Brandono, duci Suffolciensi. 148
Duci Northumbriensi. 159
Ioanni Checo, equiti. 162
Georgio Deio, Cicestrensi episcopo. 169
D. Richardo Coxo, eleemosynario regio. 165
Thomæ Wilsono. 193. 344
Cuidam nobili. 207
Hieronymo Osorio. 210
Roberto Dudleio, comiti Leicestriæ. 268
Thomæ Smitho, equiti. 279
Gualtero Haddono. 282
Prætori Galliæ. 312
Thomæ Henneagio. 321
Ioanni Sturmio. 346

G. HADDONI,

Legum doctoris, serenissimæ reginæ Elisabethæ à supplicum libellis, de laudibus eloquentiæ, oratio.



Ericles Græcus orator excellens, tempus optimũ administratorem consiliorũ esse dicebat. Quod ego quia præclarè dictũ esse videbam, id ipse sequutus sum, & explicandi Ciceronis, & eiusdem intermittẽdi consilium ex tempore cępi. Nam cum mea facultas qualis ea cunq; fuit, priorum desuetudine commentationum nostrarum inaruisset, multisq; depressa difficultatibus propemodum concidisset, cumq; Cicero multorum eo tempore virorum optimis, & eruditissimis vocibus requireretur, mihi præclarissimum diligentię meæ tempus dari

ri videbatur, in quo meus singularis fructus cum aliorum non sanè nulla commoditate coniunctus esset. Itaq; vehementer inclinatis ingenij viribus & corporis id facere cæpi, de quo firmus nunq̃ antè cogitaueram̃, vt me ipse publicè quemadmodum possem erudirem, & si quos fortè mea vox alios instituere potuit. In quo licet tantũ non profecerim quantum volebam, tamen actum & aliquantum quidem à me tum est, & plus id multò fuisset, si quem primùm eramus ingressi cursũ tenere potuissemus. Verùm sequuti sunt illi dies, in quibus vel nullam omnino, vel dimidiatam oportebat, & curtã esse meam industriam, incurrentibus transuersim in eam occupationibus aliarum rerum. Deflexi igitur paulùm de via, nullo certè tędio aut inertia, sed quòd impediri me viderem, & is ego essem, qui facilius inchoata possem absoluere, q̃ interrupta contexere. Nunc autem rursus otium primũ, & summum est, & totum tempus huiusmodi,

modi, nullum vt ipsi melius, aut aptius excogitare possimus. Cōticescūt enim publica penè omnia studia, nihilq́; aliud magnoperè est quod nos conturbet. Quarè sequamur iterum liberrimam temporis solutissimamq́; rationem, in qua magis etiam mihi q̄ antehac elaborandum est. Etenim quamdiu cùm ex alijs locis alij, tùm ex hac ipsa sede duo singulares viri, mei præceptores audiebantur, minus mihi curandum fuit quantùm ingenio meo consequerer: nunc & ceteri cōquiescunt, & excellētissimæ voces præceptorum meorum non illę quidem silent, nec enim silere possunt, aut debent, sed absunt isto loco. Nàm altera publicis præest nostris rebus, altera mandata florentissimi principis instituendæ adolescentię est. Horum igitur sūmorum virorum admirabilis eloquentię memoriam hoc ipso in loco custodire debemus, in quo nata ipsa magna ex parte nutritaq́; fuit, & ita nobis in hoc munere versandum est, vt cum rati-

one videamur hanc ſcholam reſerauiſſe. Poſſunt aliæ cauſę mei laboris eſſe videri, ſed nullæ profectò ſũt, præter hanc temporis, quam oſtendi, & communis vtilitatis, ſi qua communis ad vos vtilitas ex me peruenire poteſt. Quapropter adſimus animis (optimi viri) reuertamurq́; Ciceronis ad intermiſſam eloquentiam, non paruam rem ô dij boni, ſed nimirum omniũ maximam, & maximis dignam ſtudijs noſtris. Nam ſiuè quis homines conſiderauerit eloquẽtia præditos, innumerabiles occurrent, & maximi viri: ſiuè res aſpexerit eloquẽtię pręſidio geſtas, admirabiles reperientur: ſiuè reſpub. in quibus eloquentia viguerit, florentes eas, & præſtantes alijs omnibus intelliget fuiſſe. Nec enim quiſq́ olim Romę vir magnus fuit, vt ex omnibus reipub. temporibus Cicero repetit, quin eloquentię ſtudio ſe daret, in qua licet plurimi permagni fuerint, tamẽ principes in dicendo Craſſus, Antonius, & Cicero quales & quàm

quàm diuini extiterunt. Crassus ipsũ Consulem Romanũ, & totam eius societatem ità viribus eloquentię fregit, vt totum illis Senatum infestum redderet. Antonius immissos à Mario ferocissimos homines, ad se cum irruentes videret, ferrumque stringentes: tamen illorum barbaros animos oratione suauissima sic deliniuit, vt illum cõtingere vel nollent, vel non possent, donec alter cęcus, & amẽs ira irrupisset, & adhuc orantẽ oppressisset. Cicero tãta vi iudicũ animos feriebat, vt propterea rex appellatus sit, quia regnabat in causis, & meliorẽ semper suã videri sentẽtiam eloquẽtia perfecit. Pericles Athenis imperans, quia plurimùm dicendo valebat, vniuersam Gręciam fulgure, & tonitruo permiscere dictus est. Demosthenes tantum eloquentiæ suę præstantia consequebatur, vt illius arbitrio bellum & pacem Athenienses cum cęteris susciperent. Et in his duobus potentissimis totius orbis terrarum imperijs eloquentia tam

vehementer regnauit, vt quemadmodum cęteris rebuſpub. hæ duę præſtiterunt, ſic iſtis ipſis ea ſemper optimo iure præeſſet. Quod ſi viros ab eloquentia ſeparauerimus, & locos, & eam ex rebus ſibi circumfuſis ponderemus, inuenietur genere præclara, partibus illuſtris, vſu neceſſaria, diuturnitate ſtabilis, & ambitu ſuę naturę diffuſiſsima. Primùm enim omnis ex animo eſt, & ex illa diuina mentis particula, quam intellectum appellant. Itaq; non ſine cauſa Tullius, difficillimã hãc, & maximi laboris, & plurimarum rerum, & exquiſitiſsimorũ ingeniorum eſſe diſputat. Partes habet generis ſimillimas rationẽ, & orationẽ, quibus duobus vniuerſa perfectio noſtrę naturę continetur. Nec enim orator niſi ſapiens intelligi poteſt. Sermo diſertum, ſcientia prudentem, vtrumq; coniunctum eloquẽtiam conſtituit. Ex quo nata vox Antonij eſt, qui cum eſſet ipſe vir eloquentiſsimus, diſertos ſe quam plurimos, eloquentẽ penè nemi-

neminem ait cognouiſſe. Et præclariſsimè Cic o, nihil eſſe furioſius plurimis, & optimis verbis nulla ſubiecta ſententia. Iam ſi quantum vtendum ſit, quaq; re ſpectari ſolet: equidem nec aqua, nec igni pluribus in locis vtimur quàm eloquentia, quę mentis interpres linguę dominatur, & intelligentia multiplicum rerũ conformata, alijs ore promit, quod ipſa ſecum mente peruidit. Nunq̃ igitur eloquentia caret vllus locus, niſi caret idem viris. Et os inſtituit eloquentia, ſine quo totius reliquę ſocietas humanæ vitę muta cenſenda eſt. Nec ſolũ viris, ſed temporibus etiã optimis eloquentia apta ipſa ex ſe eſt. Bellũ enim quoniã vi geritur, alienum ab humanitate mutuorũ officiorũ in vita eſt. Pax omni genere plena fructus, & cõmoditatis, eloquẽtia floret. Et quanq̃ vere Cicero duas eſſe res exiſtimet, quę nos in sũmo dignitatis gradu collocant, quarũ alterã ponit rem militarem, alterã eloquentiam: tamen animorũ quàm

corporum, & orationis quàm telorũ, magis ingenua dignaque homine victoria est. Postremò sicut viris, & temporibus, sic rebus plurimis, & præstantissimis eloquentia se permiscet. Arithmetica suis constricta numeris tenetur: Mathematicus ad puluerem & radium excubat: Astronomia cœlo suspẽsa syderibus inhiat: Geometria terræ affixa est: Musica solis in auribus tinnit: sola vis eloquentiæ per omnia genera sciẽtiarum tranans, ea varijs orationum delicijs pellicit, & eximium illis ornatum inducit, vt eas primùm amare velimus, deindè cognoscere possimus. Sed institutum mihi non est eloquentiã laudare, primùm, quoniam id facere nisi qui ipse eloquens sit, nemo potest, deindè quòd id alij fecerint, & inprimis Cicero, vndè peti malim quàm ex me, si quid in hoc genere vobis placet. Ista paucissimis breuitèr attigi, nè paruam vobis ad audiendum causam esse putaretis, est autem ea certè maxima. Nam diuinissima

ſsima certè res eſt eloquentia, nec vllus alius eloquentiæ magiſter cum Cicerone comparari poteſt, & Ciceronis eloquẽtiæ ſumma laus orationum eſt, & orationũ hæc eſt præſtantiſsima: quam partim audiſtis qualis ſit, ad reliqua nũc ſi placet, attendite.

GVALTERI HADDONI IN ADMISſione Bacchalaureorum Cantabrigienſium, Anno Domini. 1547. oratio.

MOs geſtus eſt voluntati veſtræ (grauiſſimi viri.) Quam enim ad rem ſuffragijs veſtris adhibebamur, eam ſũmis procurauimus noſtris diligentijs. Peragrauimus per indoles veſtræ iuuentutis, tentauimus eorũ acumen, & ſcientiã, conſiderauimus quantùm tempus ferebat, quam ſpẽ, quam facultatem ſinguli ſecum ad hũc ordinem afferebant, in quem à nobis cooptãdi ſunt. Quæ tanta nobis occurrerunt, vt optare ſanè maiora liceret, expectare vix tanta poſſemus. Itaque ſumma ſit hæc noſtræ ſententiæ: nonnullos ex hijs gregibus

adolescentum vestrorũ admiramur, multos laudamus, probamus plurimos, reprehendimus paucissimos, repudiamus omninò neminẽ. Quapropter vt seges, quæ spicis vberiobus, & crebris est, licet auenarum nonnihil aspergatur: & ueluti mercatura quanquam aliquid nonnunquam damni contrahit, tamen maximis cumulata lucris, fructuosa iudicari solet: & quoniam ex eo quod maximas partes continet, latissimèq; funditur tota res appellatur: literarum hãc quasi sementem in academia consitam, vobis copiosissimam, & optimam esse renuntiamus, neq; tamen perpurgatissimã quidẽ illam, sed maximorũ fructuum participẽ, expertẽ prorsus omnis iacturę. A nobis excussæ sunt, & ventilatæ segetes, vos (vt frugi colonos decet) eas in academiæ gremiũ, tanquàm in horreum infundite, respectantes subindè, nè voluptatum in illis erugines innascantur, nè turbo leuitatis eas quasi tempestatis quatiat, nè ignaui fuci obtorpentes,

pentes, earum ſuccum omnem, & ſuauitatem exugant. Meſsis ſanè præclara eſt, & fertilis: nos immiſsi veſtris ſtudijs eam parauimus: ſubſequitur noſtrum in colligendo, cōponendoque laborem, in ſeruando, veſtra fides, & in vtendo, ſapientia. Quod ſi futurum eſt, repromittimus nihil iſtorũ ſecùs quàm nos volumus, academia poſtulat, & vos expectatis. Atque hæc quidem oratio cōmuni ſatiſfecit, & præſenti noſtro muneri. Sed priuatæ charitati meæ, qua totam academiam comprehendo, non ſatisfacit. Admonet me veſtra celebritas, admonet hoc tempus, admonet ante omnia hic locus in quo inſiſto, vobiſcum vt agam, ne deſeri has ſcholas ſinatis, & quaſi priuatas relinqui, quas nomine publicas, beneficijs publicis, inſtitutione publica, doctorũ, & artium, maiores noſtri ad publicam vtilitatem totius reip. fundauerunt. Quæ tot modis peruulgatæ ſunt, quarum tam multiplex ratio cōmunitatis eſt, eas nolite pa-

ti in hac ſolitudine iacere, qua iam diù obſoluerunt. Nunquàm affluentior academia fuit, nunquàm numeroſior mea memoria, quàm nunc eſt, nunquàm deſertiores hæ ſcholæ fuerunt, nunquam magis ſolitariæ. Nam ad tantas anguſtias, & ad tam inſignem paucitatem redacti ſunt, vt vix ſingulis magiſtris, relicti ſint ſinguli auditores. Quod quoniam intelligo quanto dicam cum dolore meo, ſentire etiam videor, quanto vos id cum pudore veſtro audiatis. Nec mirum eſt, ſi in eo commouemur, fit enim ſine vllo exemplo, aut ratione. Nam omnis illa philoſophorum veteris memoriæ turba, quā nos maximè amamus, maximeq́ue ſequimur, cuiusq́ue nos quàm ſimillimos eſſe volumus, magiſtris ſe ſciētiarum cuiusq́ue generis dedidit, & in publicis gymnaſijs cōterebatur. Ratio verò quæ poteſt adferri, cùm in actionibus, in officijs, in tota deniq; vita publicas res ſemper priuatis anteponimus, cur hoc ipſum in litera-

rum

rum studijs & exercitationibus eodē modo n fit? Hoc in loco tacitè mihi à quibusdam occurri potest, magis homines domesticis, & suis studijs, quàm externis, & alienis delectari solere. At nimirum hoc rectè dicūt, solere homines, non oportere etiam. Etenim hæc oratio est se plus quàm satis, alios non satis amantiū. Qui si docti sunt, cur non doctrinā, cùm priuatim, & certis, tùm etiā publicè, & omnibus, proponi, & assumi volunt? Si indocti, non se domesticis parietibus semper occulāt, sed foras prospectent, & has scholas forum, sibi ludum esse putent. Quod si literarum domesticarum ratio satis commoda sit, tamen quæ inuidia est, hāc institutionem publicam accedere, ad quam qui se multū assueuerūt, & qui in hoc quasi forum literarum, & palestrā descenderint, non solum maiore venient scientia, & ingenio ad discendum, sed etiam præsentiore animo, vsu firmiore, prōptiore audacia. Quapropter quantum interest in-

ter veteranos milites, qui ſub pellibus ſæpè excubarunt, in caſtris ponendis, in vallo extruendo multùm verſati ſunt, qui ferire ipſi hoſtem didicerunt, & contra eius impetum in armis ſtare, & in vniuerſa reliqua occupatione militari, ſe ipſi prouoluerunt: & inter tyrones qui nunquàm hoſtẽ, nunquàm caſtra, nunquàm pugnas, aut arma viderunt: quo fit, vt cum in hæc inciderint, animo ſimul & corpore cõcidant, timeant omnia, circumſpectent, & tanq̃ præcipitati in inſidias, aut in nouum quendam orbem delati, cohorreſcant, & nulla in parte conſiſtant: ſimillima eſt ratio horum in ſtudijs doctrinæ delicatorum tyronum, qui cum ſeceſſus, angulos, & vmbracula conſectati ſunt: ſolem hunc, & puluerem publicarum ſcholarum, & diſputationũ, quaſi campi, & armorũ ferre non poſſunt. Itaque reluctantes videmus, & repugnantes eos cùm à nidis ſuis dimouentur, & in luce caligentes vt Cerberum ab inferis abſtractũ,

aut

aut hoc nomen si nimis durum est; vt Endimionem in monte Cario post infinitos annos experrectũ. Ignoscite orationi meæ, fortassis nimis vehementi, certè quidẽ nimis veræ. Cur enim stant hæ scholæ? cur eas maiores nostri tã amplas esse voluerũt? vt tam pauci ingrederentur? cur tam partitas? vt penè præterirentur? cur tã firmas, & egregia specie? nulli vt concursus essent? vt tam rarò viserentur? cur tot in hijs doctores collocati sunt? vt cum parietibus colloquerentur, aut ipsi secũ? quæ mens? quæ cogitatio? qui sẽsus maiorũ nostrorũ in hijs rebus fuit? quos si laudamus in eo plenissimè, quòd hæc eximia literarum domicilia construxerunt: cur non reprehendimus eos, qui ab hijs communibus studiorum sedibus se abalienant? Vt alia omnia prætereantur, Henricus octauus diuinissimæ memoriæ rex, cur & veteres fundauit, & nouas doctrinas magnificentissimis sumptibus suis ad illas adiunxit? an vt domi nos

abderemus? vt domesticis, & priuatis cogitationibus inuoluti, nos ipsos à publica schola abduceremus? Si publicum excellentissimi regis beneficium in hijs omnibus fuit, cur eo non publicè vtimur? si non fuit, cur eo quasi publicum esset tantoperè gloriamur? Sed finis sit, nè vel nimis audax in publica, vel nimis impudẽs in priuata causa fuisse videar. Quanquam hoc profiteor, & etiam atque etiam testificor, meam me non agere, sed publicã causam. Quid enim si non audior, neque alios doceo, qui audire ipse alios, & ab ipsis discere malim, si queam. Et ego quanq̃ non abũdo studijs auditorũ, tamẽ illis non magnoperè careo, quoniam non desydero quidẽ. Academiæ in eo laus, academiæ splendor, academiæ gloria agitur, mea quidẽ sentẽtia, quam si probatis vos quorũ ĩterest, facite quod vobis optimũ videbitur. Si aliter est, ignoscite timori meo, qui nisi tãtus fuisset, quãtus est, totum hunc locum silẽtio facillimè pręteruehi potuissẽ.

G, HAD-

G. HADDONI DE LAVDE SCIENtiarum oratio, habita Oxoniæ.

ETſi non ſus Mineruam, ineptè tamen quiſquis Mineruam docet, inquit Varro ad Ciceronem, & Atticum. Quapropter ipſe ſus, id ſi ſumam mihi, vos vt doceam, tot circumfuſas mihi Mineruas, nō ineptus in eo, ſed planè amens videri poſſē. Sed non tantùm mihi arrogo, nec vobis derogo, vos vt diſcipulos poſtulem, quos magiſtros nō recuſem. Verùm ad hunc me ſermonē impulit, præceptor priuatim meus, præpoſitus idē ſeparatim veſtris ſtudijs, literarum cōmunis patronus, vir perfectiſsimus omni genere laudis. D. Coxus. Qui, quomodo prius viuēdi, diſcēdi, ſentiēdi, ſic author mihi hoc tēpore loquendi fuit. Cuius cum tantum pondus verborum, & vitæ ſit, vt multum ipſe ex ſe valeat, talem cōplexus eſt cauſam, vt ipſa propter ſe videatur adiri debere. Quarè cū gratiſsima mihi præceptoris præclariſs. voluntas ſemper fuerit, ad-

huc ſit, & poſthac fore debeat, etiam in operarum occupatione minutiſsimarum, in hoc rerum genere, quod mihi propoſitum eſt, ſum admodum ei libenter obſequutus. Caput enim huius meæ ad vos orationis eſſe voluit, de laude ſcientiarum. Magnam rem, ô dij boni, & maximam vnam ex omnibus, & noſtris ſtudijs digniſsimã. Sed alterius nimirum temporis, & maioris cuiuſdam ingenij, quàm noſtrum eſt, aut fortaſſè eſſe poteſt. Verũ tentemus ſanè, quoniã ad id truſi ſumus, & ſi nihil erit, iniquitatẽ accuſatote mei præceptoris, cuius imperium fuit in hac re, meã facilitatem laudatote, qui malim ingenij laudem, & eruditionis amittere, quàm humanitatis, & officij. Quanquàm illa quanta ſit in hijs apparere non poteſt, rebus ſanè ſummis, ſed remotis ab omni contentione, & temporis perexigui. Quapropter iſta præceps euoluam, fretus intelligentia veſtra, & huic ſubitæ diffidens, & propè fortuitæ orationi

meæ.

meæ, In qua, licet Cātabrigia me mea multum, diuque iactauerit, tamen hæc nouorū hominum, nouorū locorum noua forma terret oculos meos, qui, quocūque inciderint, nihil vident illorum, in quibus longo iam tempore conquierunt. Sed vt id agatur ad quod adſumus : audite optimi viri, ſi cauſā audiēdi eſſe putatis, quemadmodùm apud vos ſanè doctiſsimos, de doctrina, ſemidoctus ipſe, percurram. Qui non præceptis vos inſequor, vt erudiam, ſed adhortationem adfero, vos vt ipſi erudiri velitis. Neque ad illos hæ meę voces ſunt, qui iam ipſi præceptores grauiſsimarum diſciplinarum alijs eſſe poſſunt, quales plęroſque veſtrûm reor: ſed adoleſcētes affari volo, quorū imbecillitas ætatis, & ingenij, ſapientū, & doctorū conſtituenda moderatione eſt. Quanq̄ neminem illorū, qui ſtudia literarū amāt, pœniteret eius ſermonis, in quo notæ quædam doctrinæ inſunt, & cuius, ad amplificandā dignitatem diſciplinarum, iter

est, quod hac oratione nostra sequimur quidem certè, quantùm assequamur vestris studijs intelligetur. Quæ licet hactenus magna fuerint, si maiora posthac erũt, rectè nos loquutos, optimè vos omnes fecisse, existimabunt. Ad quã rẽ, vt maioribus animis & erectioribus venire possitis, primũ cognoscite, vel cognitũ potius id sanè priùs mecũ, si libet, recognoscite, multiplex hoc animal, acutũ, memor, plenũ rationis, & consilij, quod hominem dicimus, pręstantissima quadam ac diuina conditione generatum esse, ex quo, consequitur appetitus in illo rerum bonarum & naturæ conuenientium. Placet autem ijs, quorum acutissima philosophãdi ratio mihi videri solet, tria rerum expetẽdarum esse genera, quorũ princeps est honestas, quam vtilitas cõsequitur, tertio in loco voluptas inducitur. Hij sunt tanquam augustissimi fõtes ad omnes naturæ nostræ cogitationes, per istarum quasi regionũ vias, vniuersę actiones nostræ vitæ

sic

ſic peragrant, nullum vt ſtudium, nulla vt cura, nullus vt ſenſus noſter, expers iſtorũ ſit. Quid enim ad vllam, vel animi, vel corporis rationem cadit, in quo non conſectamur naturam rei præclaram ex ſe, vel eandem coniunctam, aut cum fructu, aut cum delectatione. In primo genere ſunt honeſtates, virtutes, & officia. In ſecundo commodorum, quæ mercedem adferunt ex ſe conſequẽtem, vt ex honoribus authoritas, ex opibus abundantia, ex amicitijs familiaritates, & quę reliquę ſunt opportunitates huius generis. In voluptate ſunt tertia, & vltima, ſuaues, & ingenuæ noſtrorum animorũ oblectationes, quales ex vera gloria ſũt, & rectè factis, & partim ex ſtudio ſciẽtiarum, ventilationeque naturę, quam Cicero pabulum modò animi, modò cibum humanitatis appellat. Nec expectare debetis, vt vllas vobis exponam mercenarias vtilitates ſordidorum hominum, aut illorũ delitias, qui corporibus immerſi, voluptatis

naturam ad titillationem ſenſuum referũt. Huiuſmodi prætereantur importuna bel-luæ. Si nos animum omninò tueamur, & à ſenſibus cogitationes abducamus, & reſpe-ctemus pauliſper ad mẽtem, interiorẽ no-ſtri partem, inueniemus in hijs doctrinarũ ſtudijs, ad quæ ſegregamur, non vnum ali-quod ex illis tribus generibus quæ ponebã, in quo multum eſt, ſed concurſum quendã ad literas ipſorum trium; de quibus dum paucißimis loquor, quęſo diligenter, vt fa-citis, attẽdite. Primùm virtus ſumatur, cu-ius præſtantia ſingularis eſt. Hanc Cicero quadripartitam efficiens, faciem eandem, & formam honeſti vocat, quã Ariſtot. con-ſcindit minutius. Sed quotuplex ſit virtus, ad id quod nos agimus, nihil intereſt, qualis ſit videamus. Eſt autẽ habitus, naturæ mo-do, rationi conſentaneus. O diuitem virtu-tis, & auream ſupellectilem. Hijs rebus cõ-ſtat omnibus, ſine quibus ſingulis, vita no-ſtra nulla eſſe poteſt. O literarum excellen-

tiſsimam, & planè diuinam conditionem, quibus exornantur, & perpoliuntur hæc virtutis membra præclariſsima. Naturā enim egregiè multa inchoantē doctrina formans, & erudiens, tandem perficit, memoriam, difficilem ſępè ad cōprehēdendū, lubricam ſemper ad tenendum, & facilè etiā labentem, præcepta literarum confirmant, eadem & latentem quoq; in re inueniunt, inuentam conſtringūt, conſtrictā ſic obſeruāt, vt nulla via poſsit euolare. Iam ratio niſi doctrinæ præceptis alta, educataq; foret, eſſet illa quidem ortu pręclaro & generoſo, ſed ad exitum propè nullum venire poſſet. Quin cum longius progreſſa ratio eſt, & ex literis adiumenta ſibi adſciuit, ac intrauit penitùs in rerum naturam, ex eo virtus effici ſolet. Itaque Stoici, commodiſsimè virtutem appellant perfectam rationē. Magna laus, & planè ſumma noſtrarū artium, quibus id efficitur, cuius cauſa cæteras res omnes efficere ſolemus. Quapropter agite

vos, virtutis ſplendor & honeſti mouet. Per diſciplinarũ cognitionẽ, vobis iter ad ea eſt. Nec enim ſuſcipi ſanè poſſũt, niſi ſciatur cuiuſmodi ſint. Scientia autem earum omnibus his literarum fontibus proficiſcitur. Neq́ue nos id conturbet, quòd à Platone poſitum eſt, virtutẽ doceri non poſſe. Nimirùm ea parte non docetur, qua collocatur in vſu vitæ, ſed ad primos animorum motus, & tanquã incunabula virtutum, niſi certa præcepta dentur, nè nomen quidem virtutũ, quale ſit, apparere poteſt. Ex prudentia licet id intelligere, cuius vis cum per reliqua permeat, hæc nobis ſola nominetur. Eam Cicero definit, bonorum, & malorum, vtrorumq́ue ſcientiam. Scientiam audimus, ſcientię vox in auribus noſtris inſonat. Demus igitur operam, vt eam perquiramus ex arte, & doctrina, ſi quidem virtus nobis, aut honeſtas chara eſt. Hæc ſine illis penè nulla eſſe poſſunt. Illa ſi erunt magna, hæc in vobis maxima conſequentur.

tur. Aut omninò rectè Socrates, qui nihil virtutem esse voluit nisi prudentiã, aut optimè Aristoteles, & Cicero, qui perspersã in omnibus rectè factis prudentiam esse voluerunt. Quorum vtrolibet efficitur, aut solis literis, aut maximè, & præcipuè vti debere: quoniam prudentia omnis, ex commendatione nostrorum studiorũ est. Quapropter vt concludatur iste locus, iudicia nostra, tanquã oculos, exacuamus, vim excitemus omnẽ mentis, vt Socratem ipsum sequuti, principem sanè omnium scientiarum, consequamur illius & honestatem, quę, quomodò mirifica fuerit in illo, sic nobiscum ad summã laudẽ peruenire posſit, si in literis conteramur, præstantisſimis omnium generum vitę magistris. Sequitur vtilitas, quam futilem, & temporariam cætera dant, veram, solidam, expresſam, sola nobis studia nostra relinquunt. Nam forma, vires, sanitas, opes, agri, villæ, vestes, pecora, quæque solent eiusmodi rerum emo-

lumenta commemorari, ex pecore orta, ad corpus referũtur, & in eo terminãtur. Itaq; corpora, quemadmodum in perpetuo motu ſunt : ſic horum commodorum omnia membra mutabilia ſunt, tota incerta ratio, & illorum eſt ipſa poſſeſsio periculoſiſsima. Contra quæ ſi vellem dicere, diſertus eſſe poſſem, quoniam in illorum exagitanda leuitate, philoſophi ſuos libros referſerũt. Sed iſta, vt contemnenda, contemnamus, & ad illas nos referamus animorum amænitates, ex quibus veri fructus, & ſtabiles percipiuntur, quos cum reperiemus, à literis non diſceſſerimus. Nam, quæ põdus, & exiſtimationem habent, aut à natura donantur, aut à fortuna accõmodãtur, aut proficiſcũtur ab animo. Naturæ munera ſũt illa quidem fundata præclariſsimis initijs. Sed niſi moderatio quædam cultus adhibeatur ad ea doctrinæ, vel nullos ferunt fructus, vel ſpinas procreant, & herbas infrugiferas, vt optima ſæpè natura, niſi literis, & artium

tium disciplinis cōteratur, in maxima peruersitate sit. Iā, de fortuna, difficile est, prout temeritas illius postulat, dicere. Cicero de tota illius leuitate, & inconstātia, verissimè videtur sensisse, & grauissimè nos admonuisse, cùm fortunam dicit, & ipsam cęcā esse, & eos cæcos efficere, quos amplexa est. Supersūt animi bona, mens, intellectus, ratio, sapientia, ars, quorum omnis ratio, literis, & doctrina continetur. Hæc bona licet verissimè appellare, quoniam meliores, instructiores, munitiores, deniq́ue beatiores reddunt eos, à quibus firmè sunt cōprehensa. Nullis temporibus, nullis negocijs, nullis casibus excluduntur, sēper præsto sunt, semper vigent, omnibus causis, omnibus locis se impartiunt, res prosperas ornant, res aduersas solantur. Mœstos recreant, afflictos erigunt, propè mortuos ad vitam reuocāt. Multùm videor dicere, nec tamen multo secus est, quàm dico. Cum enim animus cuiusq́ue, is est quisq́ue, vt Pla-

 toni

toni visum est, philosophorũ deo: cur non viuere quodãmodo dicamus eos, quorum artes, consilia, deliberationes, scientiæ, toti deniq́ue animi viuunt in pectoribus hominum, in literis custodiuntur. Huc igitur animos nostros propè adducamus, huc curæ, studia, commentationes, vigiliæ nostræ allaborent, vt literis excellamus & doctrina. Quod si perfecerimus, præmia iam videtis, prosperitatem animorum florentissimam, & refertissimam omni fœlicitate, post mortẽ, nominis memoriam, aut diuturnam, aut ęternam, quasi alteram vitam. Quę si consyderare libet in alijs quanta fuerint, facillimum est ex verisimilibus philosophorum temporibus repetere. Themistoclis exiliũ, tali viro luctuosissimum, doctrinæ vis sustentauit. Dionysium de regia fortuna depressum, literæ recreauerũt. Posidonij æstus, & ardores in toto corpore furentes, doctrina mitigauit. Ciceronẽ deformatum exilio, egestate, ruinis omnium

um fortunarum, ſenem planè laborantem, & ærumnoſum, literæ ſuſtentauerunt. Literæ Socratem in medijs cruciatibus, atque adeo in media morte, non ſolum mœrentem leuauerunt, ſed etiam morientem exhilarauerunt. Huic igitur doctrinæ, his ſtudijs, his artibus, animi noſtri ſe dedant, cum his cogitationibus dies noctesque mentes noſtræ habitent, in his præceptis animus noſter ſi multùm ſe, & aſſiduè peruoluerit, nulli terrores exanimabunt illum, nullæ illum ægritudines conficient, nullæ libidines inflammabunt, nullæ delectationes languidis liquefacient voluptatibus, ſed iūctus deo ſurſùm erit, neq; foras ſpectans, ab externis rerum euentis relegabitur, neque quicquam ad ſe credet, præter ſeipſum, pertinere. Quã animorum tranquillitatem, quidam philoſophorum, plenam tot commoditatibus, fœlicitatem voluerunt ipſam appellare. Nos iunctis, & cumulatis animorum reliquis bonis, quorũ

omnes copiæ, & vbertates in literis insunt, omnibus partibus completam, esse be[illegible]tissimam & ipsi iudicabimus, & id si tempus ferret, aliquantulùm quidem ostẽdere possemus. Sed iam posita literarum & honestissima natura, & vtilitate summa, restat voluptas, quam ex rebus optimis, & maximis, maximam, & optimã percipi necesse est. Nam si res externas, ad sensus nostros suauitate affluentes, libenter accipimus, & in eis commouemur, quãtam in animis nostris lętitiam, quantum gaudium, imò quãtos applausus, quantos triumphos excitari necesse est, quum placata ipsa tibi mens, cõpressis, & sedatis perturbationum facibus, incredibili vi sua, per cœlum, per mare, per terras tacitè peragrans, & tota ipsa in se reflexa, nonnulla recondit, cogitat, ratiocinatur, refellit, delibérat, proponit, & reliquis vtitur, perfruitur omnibus diuinissimis intellectus, & rationis muneribus. Et philosophati quidem satis iam antè de hac re fumus.

mus. Philoſophorum vitam, teſtem adfe-
rimus noſtræ orationis. Pythagoras priſcæ
memoriæ vir, qui Græciã primus illuſtra-
uit, vitam hominũ quaſi mercaturam eſſe
dicebat, in qua multæ eſſent, & variæ con-
curſiones hominum, agentium, ruentium,
moliẽtiumq́; pro cuiuſq́; ingenio, & facul-
tate. Vnum eſſe genus hominũ literis inuo-
lutũ, qui philoſophi dicuntur. Hos ab om-
nibus ſecluſos forenſibus, & peruulgatis a-
liorum occupationibus, tanquam arbitros,
& iudices ſedere alienorũ operum, nulla
ipſos cura huiuſmodi rerũ impeditos, ſed
in libera, & ſoluta rerũ cogitatione, ſua ſtu-
dia defigẽtes. Hoc & ipſe Pythagoras au-
reum ociũ tenuit, & poſt illum inumerabi-
les alij. Democritus, vir magnus inprimis,
tanto ſtudio incenſus eſt, vt oculis ſe ipſe
priuaret, ne curſus, quò ferebatur ad do-
ctrinã, impediretur. Quid vnũ cõmemorẽ?
Chorus à Cicerone recenſetur eorum, qui
diſcendi cupiditate elati, in perpetuas ſe pe-

regrinationes eiecerũt. Zenocratem commemorat, Crantorem, Arceſilam, Ariſtotelem, Theophraſtum, Zenonem, Cleanthem, Chryſippum, Antipatrum, atq́ue addit innumerabiles alios, vt infinitam intelligatis, & immeſam doctrinæ voluptatẽ. Cuius ſuauitate ſi principes philoſophi ſic allecti ſunt, vt nonnulli, poſthabitis omnibus, in his doctrinarũ ſtudijs ſe poſuerĩt, alij tam longè progreſsi ſũt, vt partim patriam, partim ſenſus ipſi ſuos, & ſalutem contemnerent: vos exaggerate, & extruite animos veſtros, & tripartitam hanc à me breuiter concluſam doctrinæ pręſtãtiam conſectemini. Vos (inquã) quibus non perpetuæ peregrinationes ſuſcipiendę ſunt, quod nobiles olim philoſophi fecerunt, ſed quibus domi, & in his ſedibus, atq; adeo in his ipſis veſtigijs, in quibus nunc ſumus, doctrina proponitur, & inculcatur. Omnia vobis diuinitùs ſuppeditata ſunt, non ſolum expectatione aliorum, ſed votis etiam veſtris

ma-

maiora. Nam, siue quis aspexerit ad authorem huius principis domicilij literarum, regiam maiestatem, nihil sol vnquam vidit collustratum tot ornamentorũ luminibus, & tantis tum belli, tum pacis artibus explẽdescẽs, tam absoluta rerum omniũ prosperitate florens, siue decanum reuerendissimum considerauerit, pręceptorem meum, quantùm in illo pietatis, quantùm eruditionis, quantùm in pectore roboris, & neruorum, quantùm in gerendis rebus alacritatis & laboris, quantùm authoritatis in voce, suauitatis in ore, comitatis in moribus, quantum constantiæ & officij in tota vita perspicitur? Verũ de illo, quoniã adest, dicam nihil, in quo sentio, quantùm orationis meæ ornamentum perdiderim. Cætera quæ animo lustrare possũ, omnia occurrent ampla, excelsa, augusta, regalibus aptissima institutis. Quarè vos æquissimum est, aut nos potius, si ego ad numerum vestrum aggreger, dare operam, vt quoniam

quidem munificentię regalis participes futuri sumus, respub. vicissim nõnullos laboris, & industriæ nostræ fructus percipiat. Hæc autẽ si aliqua esse apparebunt, luculẽtissimis compensabuntur nostris emolumentis. Non his se finibus, regiæ maiestatis excellens beneficentia tenebit. Magna erant, quæ antegressa sunt, maiora videmus præsentia, licet futura nobis expectare maxima. Semper de suis regia maiestas quęrit, ecquid agant? ecquid in illis spei? ecquid facultatis insit? de suis sẽper ad se mitti cupiet regia maiestas, quos ornat, vt viua fruatur gloria sui immortalis beneficij. Semper in rep. suos disseminabit, vt in omnium auribus, & oculis, testimonium excellentissimi, & magnificentissimi operis collocetur. Aderit, qui nunc adest, reuerẽdissimus in Christo pater, Ioannes Lincolniensis, qui, nisi hoc regale beneficium admodum amaret, literas diligeret, vos non negligeret, nunquàm his annis vir, hoc tempore se

in viam dedisset. Igitur tantum sibi laboris pater grauissimus assumpsit, vt curriculum hoc videret vestrorum ingeniorum. Idem cursus vestros ad literas, regiæ maiestati vehementer commendabit. Iam reuerend. in Christo pater, Oxoniensis, qui exacta ætate, &, vt videtur, corpore confecto huc adrepsit, vos quasi alumnos suæ senectutis, ad laudem literarum, & honestatis florentes cum videbit, omnem in vestris studijs operam, gratiam, authoritatem suã cõsumet. Aderit decanus vester, & fortassis etiam noster, præceptor certè meus, vir omni ratione præstantissimus. Is hortatu suo, regiã maiestatem, non lãguentem, cõmouebat, sed currẽtem incitauit, vt vestrorũ cõmodorũ rationem haberet. Reliquus iste flos vestrarum vicinitatum, quem circa vos esse videtis, vestris virtutibus, vestris scientijs, quomodo nunc inchoatis, & virentibus adhuc inculcat: sic maturas easdẽ, & perfectas, omni charitate sua cõprehẽdet.

det. Deniq́ue lumina huius ornatiſsimæ academiæ, quomodò nunc ſe in domũ veſtram intruſerunt, ita poſthac colluſtrata eadem luce veſtrorum ornamentorum, & amabunt, & præſidijs ſuorũ cõſiliorum adiuuabunt. Quapropter iterum vos ad extremum appello, vos (inquam) appello, regalem ſtirpem, regalem familiam, regalem et domum, & iuuentam, vt omnium memores harum rerum, quas oſtendi, & horũ virorum, quos adeſſe cernitis, vniuerſas expromatis vires animorum veſtrorũ, vt tales aliquando ſitis, quales regia maieſtas expectat, decanus veſter reuerendiſs. optat, tota reſpub. ſperat vos eſſe futuros.

G. HADDONI ORATIO THEOLOgica, habita in regio collegio.

EX ingenijs hominum natis inuentis, & quomodò Paulus vocat, ex humana ſapientia, difficilis tranſitus in ſcholã theologorum eſt. Cuius ſummam authoritatem deus, fidẽ Apoſtoli, varietatẽ turba doctorum

rum effecit. Sed quoniam quidem ad hoc genus ſermonis ingrediendum eſt, iam nos ſtatim in viam demus, vt quò noſtra neceſſariò pergit, eò celerrimè perueniat oratio. Verùm anteq̃ in medium deſcendimus certamen iſtarum rerum, quædam pręmuniendanoſtræ ſunt conſequuturę diſputationi, mea neſcientia, qualis ſit, ignoretur. Eſt autē non mea, ſed Pauli ſententia, perſcripta verbis apertiſsimis ad Romanos. Nulla igitur nunc eſt condemnatio his qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu, qui non iuxta carnē verſantur, ſed iuxta ſpiritum. Qui licet certus ſermo ſit, quoniam ex Paulo eſt, tamen euoluatur à nobis, vt propius aſpici poſsit, & vehementius ad animos noſtros affigi. Sũmam enim continet noſtræ ſalutis, in quam maximis ſtudijs omnes inquirere debent. Paulus autem, quoniam ſe ipſe intellexit optimè, ſuam ipſe doctrinam facillimè declarabit. Itaque Paulum adhibeamus ad Paulum, hoc eſt, cum ſpiritu ſancto ſpiritũ

ſanctum iungamus. Hac enim ratione, cumulata veritas erit illuſtrior. Vt autem vtrunque poſsit intelligi, quàm nobis infœlix pater Adamus, infœlicẽ hereditatem reliquerit, & in quantam nos poſſeſsionem veræ gloriæ deus per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum miſerit, illos primùm locos conſyderemus, qui ſtatum vtriuſq; cõtinent noſtri temporis, quales hi ſunt aliquot, ex infinitis Pauli. Omnes peccauerũt, & deſtituuntur gloria dei. Iuſtificantur autem gratis, per illius gratiã, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit deus reconciliatorem per fidem, interueniẽte ipſius ſanguine, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſsionem præteritorum peccatorum, quæ deus tolerauit ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in pręſenti, in hoc, vt ipſe ſit iuſtus, & iuſtificãs eum, qui eſt ex fide Ieſu. Cõferta ſententia dei beneficijs eſt, & ordine procedit diuinæ ſapientiæ. Primùm enim peccatum oſtenditur, quemad-

quemadmodum ad omnes permanarit, tum huic communi naturæ nostrę vulneri, gratia, tanquã oleum saluberrimum, infũditur. Quod nos remediũ, quia nec muneribus euocare, nec vlla cõparare reliqua facultate nostra poteramus, gratis allatum ad nos per dominum nostrum Iesum Christũ fuit, aduectus autẽ pretiosissimus thesaurus est diuinæ clementię, pretiosissimo sanguine Iesu Christi, nec vlla comprehenditur alia parte nostrorum animorum, nisi fide, nos vt lautissimũ redemptionis nostræ pretium, excellentissimo nuncio perlatũ, diuinissima vi mẽtis nostræ susciperemus. Sequutũ autẽ hæc omnia est, vt nobis peccata cõdonarentur, deus ostenderet quemadmodũ & ipse iustus esset, iustosq; redderet omnes eos, quorũ fides in sãguinem Iesu Christi cõferretur. Sic & morbũ ista sẽtentia videmus peccatũ, & morbi remediũ gratiã, authorem gratiæ deum, eiusdẽ administrũ gratiæ Iesum Christum, mercedẽ

porrò gratiæ Iesu Christi sanguinem, huius verò mercedis finem, partim dei iustitiam, partim nostrorum veniā peccatorum. Auditis, quàm angustè Paulus vniuersas nostrę religionis opes referserit. Easdē tamen stipat alijs in locis angustius, cuiusmodi ferè sunt isti. Deus excitauit Iesum dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, excitatus est propter iustificationem nostri. Rursus. Nā si, cum inimici essemus, recōciliati fuimus deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Et iterum Paulus. Per vnum hominem peccatum in mundum introijt, & sic in omnes homines mors peruasit. At non vt peccatum, ita donum. Nam si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia dei, & donum per gratiam, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Addit etiam planius. Itaque sicut per vnius delictum propagatum est malum in omnes

homines ad condemnationem : ita & per vnius iustificationem, propagatur bonum in omnes homines, ad iustificationem vitæ. Quibus verbis, cum sublata sit omnis condemnatio peccatorum, inducta verò, & constituta merito saguinis Iesu Christi venia: quid est, quod in hac causa dici posſit apertius? Est equidem apertius certè nihil, sed amplius certè quidem aliquid. Nec enim satis est, vt sciamus, quomodo nos ipsi, cum peccatis euertissemus, erecti, perpurgatiq; Iesu Christi sanguine fuerimus, nisi nos vt inseramur Iesu Christo, quātùm in nobis est, prouiderimus, nisi perrexerimus in Pauli doctrina, non vt iuxta carnem versemur, sed iuxta spiritum. Nam quomodo Paulus idem interrogat, qui mortui sumus peccato, quomodo posthac viuemus in eodem? An ignoramus, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortē eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus cum illo per baptismum in mortem, vt

quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Æquiſsimũ enim eſt, in quo Paulus progreditur, vt ſi mortui ſumus cũ Christo, credamus quòd & viuemus cum illo, ſcientes, quòd Chriſtus excitatus à mortuis, non amplius moritur. Nã quòd mortuus fuit peccato, mortuus fuit ſemel, quòd autem viuit, viuit deo. Ita & nos reputemus nos ipſos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem deo per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum. Nam ſi morte Chriſti contra terrores dęmonum, & infernorum nos munire velimus, morte Chriſti diſcenda etiam vitæ innocentia eſt. Sanguinem enim cum abolendis impendit vitijs, tum renouandis virtutibus. Ex quo Pauli nata cõcluſio eſt: nunc verò (inquit) manumiſsi à peccato, ſerui autem facti deo, habetis fructum veſtrum, ſanctificationẽ, finem autem, vitam æternam. Etenim authoramentũ peccati mors, donum autem

dei vita æterna per Christũ Iesum dominũ nostrũ. Non igitur claudicemus in officio, sed exædificemus absolutã & perfectã nostrę religionis formam, cuius in eo summa est, vt sanguine Christi nos primùm ad salutem reuocatos, deindè puram ad vitam, & integros mores inuitatos esse sciamus, tum illa pugna nobis exorietur spiritus contra carnem, de qua Paulus commemorat à se suscepta. Non enim quod volo hoc facio, sed quod odi, hoc ago. Porrò, si quod non volo, ego hoc facio, non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Caro, & spiritus inter se perpetuò dimicant. Hanc nos dissensionẽ placare non possumus (insidet enim intimis implicata sensibus nostris) sed nostræ partes sunt auersandi carnem, è carneq; nos euoluendi, spiritũ amplectendi, spiritusq; semper in studijs commorandi. Eijcere nos ex societate carnis non possumus, sed abducenda mens quàm longissimè, diuinarum rerum

cogitationibus ab ea eſt, vt ſi caro ſe vehementiſsimè commoueat, nullã tamen habeat animorum noſtrorum aſſenſionem. Ita cõmigrabimus in Pauli naturam, cuius de ſe talis eſt oratio: Delectat me lex dei ſecundum internum hominem, ſed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Hanc nos inteſtinam ſeditionem ſpiritus, & carnis, ex natura noſtra non poſſumus extrudere, nec enim Paulus potuit, odiſſe licet, imò indignari, imò execrari. Paulum enim audimus frementem his verbis: Miſer ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Sed ita contra carnẽ exardeſcere debemus, vt datũ nobis à deo ſpiritum ſanctum meminerimus, qui quoniam mentem in officio ſuo continet, agnoſcendum hoc dei beneficium eſt, vberrimè gratiã ſuam aſpergentis. His enim verbis Paulus ſe reuocat: Gratias ago deo per

Ieſum

Iesum Christum dominum nostrum. Itaq; idem ego, mente quidem, seruio legi dei, carne verò, legi peccati. Cum autem nos ipsi sic cōstituerimus, carnis vt tumultuantis minimam, spiritus ad deum inuitantis maximam ratione͂ habere possimus: tum in medium peruenimus illum Pauli locū, quem ego feci proprium huius temporis, nulla vt nunc sit condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carne͂ versantur, sed iuxta spiritum. Attexuntur causæ. Nam lex spiritus vitæ per Iesum Christū, liberū me reddit à iure peccati, & mortis. Etenim quod lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carne͂, hoc deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cōde͂nauit peccatū per carne͂, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundū carnem versamur, sed secundum spiritum. His verbis sciri potest, totum spiritus negotium esse, qui cum influit ad reliquam ani-

nimorum pietatem, carnis ſtimulos elidit, & nos iungit deo. Nam Pauli conſequente ſententia, ſi Chriſtus in nobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vita eſt propter iuſtificationē. Is autē ſpiritus cū in animis ſe noſtris effert, teſtimoniū ſpiritui noſtro dat, quòd ſimus filij dei. Paulus autem argumētatur, nos, ſi filij dei ſimus, eodem modo hæredes eſſe, hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Quem ad locum omni dignitate præſtantem, cum ſemel aſcenderimus, tum reliquum Pauli curſum facillimè tenebimus, & colligemus, quòd deus, quos prædefinierit, eoſdē vocarit, & quos vocarit, eos iuſtificarit, quos iuſtificarit, hos & glorificarit, tum & illis Pauli interrogationibus nos ipſi venditabimus, qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poteſt, vt non cum eodem omnia nobis donet? Quis intētabit crimina aduerſus electos dei? Deus

est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui suscitatus est, qui etiam est ad dextram dei, qui & intercedit pro nobis. Christus igitur, cũ nostra causa mortuus fuerit, & se ipse suscitauerit: qui moriuntur cum illo, cum illo consurgent, &, vt Pauli verbis concludam, siquidem cum illo patimur, cum illo glorificabimur. Exposui primam Pauli sentẽtiã, perpetuo contextu Pauli sententiarũ, in quo nihil prętcr studium veritatis sequutus sum. Nunc eodẽ instituto secundã breuissimè complectar. Neque volentis est, neq; currentis, inquit Paulus, sed miserentis dei. Quem multi durũ sermonẽ, & iniquum, ego mollem & humanissimum esse iudico. Spoliare nos electione videtur, & iudicio. Non est ita. Sed eò refert omnia, quò referenda sunt, & vndè nos vniuersas sumimus opes totius nostræ facultatis. Detrahit nobis inuentorum nostrorum laudem, & actionum, imò dei verũ robur, & infinitã ostendit

oſtendit potentiam, qua, ſicut Paulus ait, viuis, & mortuis dominatur. Quarè non tantũ nobis ipſi tribuamus, vt decedere nobis credamus, quod ad deum accedit, vt imminutam in eo noſtram gloriã exiſtimemus, in quo dei dilatatur honor. Frangamus hos ſpiritus, ſedemus hanc arrogantiã, huiuſmodi cohibeamus animorum elationem, confiteamur cum Paulo de nobiſmetipſis, quòd creaturæ ſumus vanitati ſubiectę, non volentes, ſed propter eum, qui ſubiecit nos ſub ſpe. Qua ſententia patefactum eſt, non ſolũ quomodo vani ſumus, & nulla noſtra voluntas eſt: ſed etiam quęmadmodũ ſpe nos conſolari debemus miſericordiæ dei. Quę ſpes, ſi firmè noſtris ſenſibus comprehenſa fuerit, conſequetur in nobis, quod in epiſtola Pauli ſequitur, ſpiritus auxiliabitur infirmitatibus noſtris. Siquidẽ hoc ipſũ, quid oraturi ſimus, vt oportet, non nouimus, verùm ipſe ſpiritus intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Ecce nobis

ex

ex Paulo nostras vires, fari ipsi rectè non possumus, nisi ora nostra deus diducat. Eccè voluntatē, eccè cursū. In quo prophetæ clamor etiam est: A,a,a, puer ego sum, & nescio loqui. Verba si nostra non sunt, quomodo nostras esse res dicemus? & si in sermone spiritus nos erudit, voluntatem multò magis, & cursum ab eo adiuuari necesse est. Adiuuat autem, & vehemētèr, sed quomodo Paulus his verbis explicat: Sciamus autē quòd hijs qui diligunt deū, omnia simul adiumenta sunt in bonum, nimirū his qui iuxta propositum vocati sunt. Cuius vocationis exempla primùm, deindè rationem à Paulo discite. Et primùm quidem Paulus ipse sumatur, deindè, etsi poterant alij plurimi, tamen his contenti simus, quibus ille vsus est. Paulus igitur cum esset voluntate teterrima, cursu ferretur ad omnē impietatem incitatissimo, tamen iniectis à deo frænis coercitus est, & obtorto collo pertractus ad veram dei religionem, & vt

nihil in eo præter dei decretum inesse videremus, vas electionis appellatus est. In hoc igitur pretiosissimo vase, quod deus selegit, nos ipsi collocemus, & eius cum exemplo, tum doctrina videamus, quantum nobis emetiendum sit, quantumque deo reseruare debeamus. Is igitur, hac in re, sic concionari pergit. Non omnes qui sunt ex Israel, sũt Israel, neq; qui sunt semen Abrahami, statim omnes filij: sed per Isaacũ nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij dei, Sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. Tumultuemur quantùm volumus, imò quantùm possumus, imò quantùm volumus posse videri, voluntates intẽdamus, & cursus. Non quia semen Abrahami sumus, salutem eò consequemur. Nisi ad Isaacũ aggregati fuerimus, dei beneficijs excidimus. Sed plura licet, & apertiora eiusdem generis. Non dum enim natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent, neque mali, vt secundum electionem

propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi, maior seruiet minori. Nouum, & plenum admiratione iudicium dei, fateor. Sed quoniã dei iudiciũ est, & verum est, & in eo debemus acquiescere, præsertim cum vox adiuncta sit, ore missa dei ad Mosen: Miserabor cuiuscunq; misereor, & cõmiserabor quęcunq; commiseror. Tandem igitur abeamus ipsi à nobis, si non Pauli, saltẽ authoritate dei verborum. Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis dei, quemadmodum deus de se ipse testificatus est. Itaq; coram deo procumbamus, vt nos, quoniam quidẽ omnes illius vasa sumus, velit misericordiæ suæ vasa potius, & honoris esse, quàm indignationis, & contumeliæ. Nostrum enim, præter spem, nihil est, quanq̃ nec ea aliqua est, nisi cum ex miserente deo est. Nã verissimè Paulus: Quod quærit Israel, hoc non assequutus est, sed electio consequuta est. Reliqui verò excæcati sũt, quemadmo-

dum ſcriptum eſt: Dedit eis deus ſpiritum conpunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque ad hodiernum diem. Iſrael, peculiaris dei populus, non aſſequutus eſt quod quærebat, ſed electio viguit: ita nos fruſtrà quærimus præter electos, reliqui enim excæcamur, quanq̃ niſi miſerente deo, ne quærere quidem poſſumus. Omnibus enim ſenſibus, vt audiſtis, cōſtricti tenemur. Deus igitur dignetur aperire oculos noſtros, qui ſolus aperit librū, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Conclusit enim deus omnes homines ſub incredulitatem, vt omnium miſereretur. Quod deus cur ea ratione fecerit, exquirere non debemus, admirari poſſumus, & exclamare cum Paulo: O profunditatem diuitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis dei. Quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit mentē domini, aut quis illi fuit à conſilijs? Aut quis prior dedit illi, & reddetur

ei?

ei: quoniam ex illo, & per illum, & in illũ omnia. Ex deo omnia, nihil igitur ex nobis, per illum omnia, per nos autẽ nihil, in illum omnia, in nos verò nihil. Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum deus. Plantatione, rigatione, voluntates, & curſus intelliguntur noſtri, quæ apud Paulũ nullo in numero ſunt. Ex quo etiam illud eſt: diuiſiones donorũ ſunt, ſed idem ſpiritus, & diuiſiones miniſteriorũ ſunt, & idem deus, & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt deus efficiẽs omnia in omnibus. Agnoſcamus igitur noſtram imbecillitatem, & editas in natura noſtra ruinas, acclinemus nos ad deum, & cum Paulo dicamus: Gratia dei ſumus, quod ſumus. Nam vt in eodẽ eſt, non idonei ſumus ex nobis ipſis, cogitare quicq̃, tanquam ex nobis ipſis: ſed ſi ad aliquid idonei ſumus, id ex deo eſt. Eant igitur qui voluntates, & curſus, & multa ſibi tribuunt ſua: velint, & currãt ſuo periculo, mihi mi-

nimè curioſo homini, dei ſermo ſatiſfacit, & Pauli. Imò nos omnes optimum eſt, vt ferociam animorum noſtrorum contundamus, & ſi nihil à nobis rectè cogitari poſſe, ſententia Pauli didicimus, multò minus fieri credamus aliquid noſtris viribus, in quo quicquam inſit boni. Teneamus Euãgelij certiſsimam doctrinam, quòd omnia cum ſũma fecerimus, inutiles ſerui ſimus, & noſtris non poſſumus etiam excellẽtiſsimis factis conſiſtere. Conſyderemus Dauidis animum, non vnius è multis, ſed inter omnes ſingularis viri, de quo cum ſacra ſcriptura commemoret, quòd rex, & propheta fuerit, & eximia quadam dei gratia maximas ad res aſſumptus: tamen repudiata, proiectaque ſuæ facultatis, & opum vniuerſa fiducia, vehementiſsimè dei miſericordiã expetiuit, & verbis ampliſsimis eam proſequutus eſt, quomodo nos etiam facere debemus, vt prophetæ diuiniſsimi diuiniſsimum ſenſum, & orationẽ retineamus.

Nam si Dauidis non erat volentis, aut currentis, sed miserentis dei (quemadmodum ipse de se testis est) nos, cũ in illo, quod magnum erat, satis non esset, id cum minimum in nobis sit, nihil esse credamus. Itaque deus misereatur nostri, non nostri nos, & benedicat nobis, quoniam vox eius fuit ad Abrahamum: Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Illuminet vultum suum super nos. Illos enim ipsi non possumus ad deum tollere squalidos, & obscuros, nisi donũ hoc perfectum, vt dicitur, à patre luminum descendat, & non ipsi prosiliamus, sed deus misereatur nostri, vt cognoscamus in terra viam, non nostram, sed tuam, & in omnibus gentibus salutare, non nostrum, sed tuũ. Dei viæ sunt, dei salutes, dei cognitio, dei voluntas, & cursus. Et cum dei sint, confiteantur, non de se quicq̃, sed confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes. Omnes enim, Pauli doctrina, deus conclusit sub peccato, vt omnium misereretur.

retur. Quarè lætentur, & exultent gentes, non vllis ſuis, ſed ſummis, & infinitis dei beneficijs, quoniam noſtræ nullæ ſunt, niſi parendi partes: tu, ô deus, iudicas populos æquitate, & gentes in ea dirigis. Quod quia veritas fert, & certiſsimũ eſt: vehementèr, & iterum atque iterum confiteantur tibi populi deus, confiteātur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Terra culta quidem, arata, conſita, rigata noſtris operis, ſed neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed ſolus qui dat incremẽtum deus. Benedicat igitur nos deus, & quidem deus noſter, hoc eſt, qui potentiam illius, & opes agnoſcimus: benedicat nos, nõ iam noſtros, ſed dei deus, & metuant eum omnes fines terræ. Non metuimus eos, qui corpora lædunt, ſed metuamus eum, hoc eſt, deum, cuius vis ſolius verbi, & voluntatis, ea eſt, vt animã poſsit ad inferos trudere. De cuius dictum eſt multiplici curſu, & infinito: ſi aſcendero ad coelum tu ibi es, & ſi deſcendero

dero ad infernum, ades, & de manu tua nemo poteſt eruere. Nos igitur ad dei voluntatē, & nutum noſtra referamus, quanquā non noſtra, ſed dei cūcta præſidia corporis, & animæ, qui ſic noſtri miſertus eſt, vt filium ſuum vnigenitum daret pro nobis, in quo, ſalus erit omni credenti, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

G. HADDONI ORATIO, QVAM habuit, cum Cantabrigiæ legum interpretationem ordiretur.

CAius in iuris diſciplina perfectus vir. ff. de orig. Iu. Ci. li. j. viam, & aditum quaſi quendam pręfationis, adiungendum in explicatione legum eſſe cenſet. Quem tamen ita ſumi vult, vt non alienā, & otioſam particulam attexuiſſe, ſed mēbrum quoddam naturale, & ſuum inſeruiſſe videamur. Homo nimirum acutus, & multùm prudens, iuris ſcientiam, maximam vnam ex omnibus, & ampliſsimā, ornamento legitimo, & conceſſo denudari vult, & tamen hoc ipſum

ſum quod adhiberetur, tam aptum ex legibus, & cum illarum inſtitutis cohærens eſſe voluit, vt multùm ex eo reliquis interioribus legum rationibus præmuniretur. Cuius ego prestantiſsimi doctoris, ſi tam facultatem poſsim aſſequi, quam ſequi ſententiã cupio, non ſolùm illius in hoc tempore ſermonem, ſed multò magis intelligentiam vobis repræſentarem, & perficerem, auditores, vt qua ex re ſingularis ad vos delectatio perueniret, ex eadem fructus vberrimos caperetis. Vos enim profectò, vos eſtis, quorum ego literis, & ingenijs omnia deberi ſumma ſemper exiſtimaui, vos eſtis quorum in oculis, & auribus ſemper habitaui, vos eſtis à fortuna, vel potius à deo mecum in omni conſuetudinis ratione coniuncti. Quorum niſi morum ſuauitatem amplexus fuiſſem, iudiciorum æquitatem appendiſſem, vniuerſam conuictus formã adamaſſem, non me tam facilè quiſquam à vobis digredieťem, quaſi pilam retorſiſſet.
Euocauit

Euocauit aliena me cupiditas, mea me voluntas reuocauit. Discedens aliorũ authoritatem sequutus sum, rediens aliorum sententias ad animum meum inflexi. Profectus sum inuitus, & penè meipsum fugiens: ita cupidè recurri, studium vt in eo meum facilè cerneretur. Nunc autem renouatam, & varietate meorum temporum multiplicatam superiorem ad vos deferens meam beneuolentiam, rursus ad vos influens, rursus in cõmunibus his sedibus nostris apparens, recentem quandam, & eximiam deposco vestram charitatem, & gratiam, & simul petitionem ad vos adfero, plenissimã (quomodo mihi videtur) ęquitatis, & officij. Talis autem est, vt, quem non auersati estis rhetorem, non repudiastis philosophũ, nec adolescentem spreuistis, eundem, Haddonum vestrum, cognoscatis virum, & iurisconsultum, non sanè satis absolutũ, imò fortassè vix inchoatum quidem, cupiditate tamen incensum, & vt arbritror, non

 repre-

reprehendēda, docendi illos, qui volūt diſcere, & diſcendi ex illis, qui docere poſſunt. Quæ qualis vniuerſa ſit hac in re mea ratio, vobis vt videri poſsit, exponam vobis qua via peruenerim in hanc iuris ſcientiam, quemadmodum in ea me collocarim, qua ex parte, & quomodo me vobis in hoc genere ſum oſtēſurus. Quod dum breuiſsimè percurro, diligenter (vt ſoletis) quæſo ad me attendite. Ego cum in hac ſentētia perpetuò manſiſſem, quam vel natura puer arripueram, vel adoleſcens aliorum libris, & exemplis collegeram, tantùm vt in literis proceſsiſſe viderer, quantùm vobis optimis probare poſſem, & eruditiſsimis viris: has ſcholas quaſi ludum, veſtras aures, & oculos mihi magiſtros eſſe putaui. Quarè non magnis ſanè, nec maturis temporibus meis, maximę fuerunt, & laborioſiſsimę cōmentationes meæ: quas ego licet contemnebā, (vt ſanè contemnendæ fuerunt) veſtrorum tamen fauore iudiciorū ita ſuſtentabantur,

vt earum me pœnitere non debeat. Itaque creuit vestris studijs occupatio mea, nec in eo me defatigari passus sũ, in quo vos tam alacres esse videbam. Cum autem aliquot iam annos in hoc literarũ foro contererer, & in hisce vestris disputationum curriculis volitarem, & tantum in eo consensum vestrum cõmouissem, quantum non doctrina mea postulabat, quæ perexigua fuit, & adhuc est, sed quantum humanitas vestra dabat, quam semper summam fuisse recordor: subitò tranauit huc ad vos, incredibili bonorum omnium lætitia, doctorum infinitis plausibus, sempiterno & immortali academiæ commodo, cõmunis noster excellentissimus preceptor D. Smithus, quẽ ego virum honoris causa nomino, & hæc academia dum erit, natum fuisse lætabitur. Ita enim in ea vixit, huiusmodi gessit, tanto ingenio, tã exquisitis literis, tanta grauitate, & sapientia per omnes eius partes peragrauit, vt adhuc academia stet, plurimis eius,

& diuinissimis institutis. Hunc ego virum propter literas admirabar, propter mores diligebam, propter grauitatem reuerebar, propter sapientiā venerabar, & quoniam in vno thesauro tot ornamēta cōcurrissent, quot in regione sępè integra vix sparsim reperiuntur, quasi numen quoddā illū consyderabam, euēturum fore sperans, quod etiam euenit, vt illum si diligentèr obseruarem, nonnihil mihi de suo ingenio, & scientia aspergeret. Itaque cum ad illum ventitarem, cum alia mecum multa, tum illud inprimis, ius vt ciuile vellem agnoscere, præclarissimam esse scientiam, confertam philosophia, non expertem eloquentiæ, cōseruatricem reip. permanantē per omnia, iustitiæ matrem, alumnam æquitatis, dignā principibus, dignam regibus. Intrauit in animum meū facilè sermo tam præstantis viri, cuius ego tantam authoritatem orationis esse putabam, vt singula verba, singula testimonia esse putarem. Ex illo tempore,

nunquàm ego quidem iurisconsultus, sed nec vnquã alienus à iuris studio fui. Nam & ille meus me preceptor, quasi sol, institutionum suarũ luminibus nonnihil colorabat, & mecum ipse in vmbra cum eram aliquando, sic erã, vt Scipionis Africani exẽplo solus non essem, cum esse viderer maximè. In quo mihi laudem nullã assumo, reprehensionẽ, & insectationẽ illorum repello, qui nulla cogitatione, nullo studio, me tanquam somno excitatum, ad leges explicandas clamant obrepere. Qui si me paulò nossent propius, & interiorem meam cõmentandi rationem, aut æquiores in hoc genere forent, aut iniquiores essent in reliquarum disciplinarum scientia, quam ego sanè nullam, alij, atque adeo hi ipsi certè quidẽ, aliquam in me esse iudicant. Nam si librorum euolutio, scriptura frequẽs, continuæ assessiones, authorum inter se cõparatio, sententiarũ de omnibus rebus omnium percursiones, sic in se doctrinæ laudem conti-

continēt,vt ab his qui absit,eam amittat,tacendū mihi, atq; abeundum est auditores. Quis enim ego sum? aut quid in me horū, ô dij boni,aliquādo fuit,aut esse potest? Equidem attendor à vobis nonnunquam vt orator, interdū tanquam philosophus,nec vlla est alia disciplina, de qua nō aliqua vox à me missa sit, & tamen solus Cicero sumebatur ad omnia, nec is subtiliter inspectus, sed animaduersus leuissimè. Quod non dico, latebram vt ignauiæ quæram, vel meæ, vel aliorum: sed vt ista vel nihil esse sciatis, quæ in me aliqua putantur, vel illa si sunt aliqua,legum in me scientiam desperari non debere. Nec aliorum vigilias reprehendo, meum ocium indicans, nec meum huiusmodi ocium pono, quod sine negotio sit,aut esse sanè possit. Abdi in angulū, raptari per infinitam librorum vim, exorbere continuis multorum dierum lucubrationibus immodicam voluminum immensitatē, ingurgitare se in cupiditatem inexplebilem

bilem omnia perquirendi, quę in quaque re occurrere possūt: hæc omnia præclaræ cuiusdam diligentiæ sunt, & curiosæ assiduitatis, quam laudare fortassè omnes debent, sequi certè omnes non possunt. Ego mediocri contentus sum illarum animaduersione, quas in quaque re necessarias esse reor, & malo aliquid saluti seruiens nescire videri, quàm dum omnes vndique minutias cōsector, valetudinē, & vitam in illis ponere. Cuius authorem sententiæ habeo Ciceronē ipsum, & Ciceronis discipulum excellentem, Longolium. Sed id hoc tempore non ago, studiorum vt rationem meorum exponam, quæ nulla in me, præclarissima in plerisq; vestrum est, & vt diù sit exopto. Quapropter ad ius ciuile pergamus, ad quod quo modo deductus fuerim, quoniā accepistis, nūc vt in vestro leges conspectu constituam, intelligite. Quem locum vtinā silentio prętervehi liceret, facerem libentèr quod Cicero poetas Romanos factitare di-

cebat, vtq́ si quod perfusū reip. mœrore tẽpus illis occurreret, id ne attingerent. Exhorresco certè memoriam huius pub. calamitatis acadamiæ nostrę. Nunquam huiusmodi tenebræ studijs inductæ sunt, nunquam plaga, tam vehemẽs, omnibus disciplinis inuecta est. Checum antea videramus, socium in omni laudis genere Smithi nostri, à nobis ad aulam euocatum. Quæ suspiria? qui gemitus? facilè principem vt in omni scientia virum amisisse videremur, etsi minimè sanè nos illum amisimus, qui, tanquam adhuc nobiscum esset, causis omnibus nostris inseruit, & vniuersam facultatis, & gratiæ suæ vim cõmoditatibus nostris impertit. Is vir cùm à nobis dimotus esset, & ad Smithum nostra resp. se quasi firmissimū quendam murū acclinasset, illi se cõmodaret, in illum incumberet, subitò, quasi tempestate quadã, & is à nobis ablatus est, & ad illam dignitatem sublatus, quã nostris rebus valdè opportunã sentiemus,

atque

atq; adeò ſentimus. Sed tamen pectus illud ſapientia plenum, & literis, ex quo, tanquam oraculo, reſponſa iuris, & æquitatis dabantur, illa fortis & oratoria vox ad omnes ſtudiorum noſtrorum partes vſque reſonans, illi ſpiritus, ardor, motus, illa deniq; omnis vndiq; perfecta virtus, quę vlla cogitatione informari poteſt, longius ab oculis & auribus noſtris peregrinatur, quā voluntates, & etiam neceſsitates noſtræ ferūt. Diuinus enim ille profectò vir, atq; adeò deus, ore, literis & conſilio fuit, & quibus alij rebus ſingulis cenſebantur, in illis eius ingenium vniuerſis elaborauerat. Quis ex noſtris hominibus eloquentia præſtabat? Equidem Checus dum aderat, potuit addubitari, quoniam illos, quaſi Craſſū, & Antonium, ſemper in omnium laudum ſocietatem includebā. Sed altero ſublato, dubitatio omnis, mea quidem ſententia, ſublata eſt. Quis perfectus in philoſophia? Smithus. Quis in Mathematicis? Smithus.

Quis in iure ciuili? Smithus. Itaque Smithus cum nominabatur, non hominem, sed omnis quasi concursum quendam humanitatis, & artium citabamus. Quapropter latior fuit hæc plaga, quàm rebamur, lōgius repit, atque adeò intima reip. nostræ viscera cruētat. In alijs interdum aliquid, in multis multa decedebant, Smithus secum abstulit omnia. De cuius viri maximis, & infinitis ornamentis quoties cogito, vereor ne in patriam dicam impiè, quod in studia nostra dicam piè. Dicēdum tamen est. Vtinam te deus, ô præceptor, nobiscum aliquandiù colligauisset, consitum fuisset inter nos ciuile ius, herbescere breui cæpisset, ac euirescere. Reliquis purgatioribus vteremur, & facilioribus scientijs, florentiorem omnibus modis academiam haberemus. Sed quoniam ille recto cursu contendit ad gloriam, dignitatem, & communem omnium salutem, eum sinamus, ita vt est, & ad id nos demus, vt si non parem, quam vix optare

ausim,

ausim, tamen eximiam, & aliorũ expectatione dignam virtutem, & doctrinam, in communes has ſedes proferamus, vt minimè obliti videamur tam præclari viri, qualem vtinam alium ætas noſtra nobis poſſet oſtendere. Craſſus, & Antonius euolarũt, non ſolum ſuis, ſed etiam maiorum ſuorũ temporibus præſtantes. Succreſcunt inter nos Cicerones, Hortenſij, Cæſares etiam, Sulpitij, Catuli, Scæuolæ. Decedens Smithus me vobis diſcipulum commendauit, minimè certè Seruium, imò ne ſcribã quidem Flauium, quem tamen ille aliquo in numero eſſe putaret, & veſtra in eo ſe iudicia ſequi crederet. Quapropter adſum ad fontes iuris patefaciendos, ad reſerandas legum venas, ad conſtituendam controuerſarum formularum varietatem. Adſum non ille vetus Ciceronis, ſed quidam nouus Iuſtiniani alumnus. Adſum non cupiditate profitendi, quod non didici, ſed verecundia negãdi, quod à me flagitabatur. Ad-

ſum non præceptor vobis datus, ſed diſcipulus inter vos Smithi collocatus. Adſum non electus vnus ex omnibus, qui optimè poſſem, ſed relictus vnus ex omnibus, qui non nollem in hac doctrina, curſum, quem poſsim, tenere. Deniq; adſum præſenti facultate minima, ſpe & præparatione maxima, ſtudio penè nullo, voluntate planè eximia. Quæ ſi qui ex vobis ad ſe acccommodari velint, meam vobis operam, diligentiam, & aſsiduitatē defero. Qui recuſant, ſi id contemptu faciunt, nimis ſeipſi amant, ſi odio, me non ſatis, ſi tædio, valdè lauti ſunt, ſi pertinacia, nimium ſunt ruſtici, ſi ocio, ceſſatores, ſi negocio, turbulenti, illos excipio præſtanti doctrina viros, & grauiſsimis occupationibus implicatos, quibus non dare me, ſed ab illis veniam accipere conuenit. Nunc, quoniam demōſtratum eſt, quæ me cauſa iureconſultum effecerit, & quidem huius iureconſultum temporis, & loci (liceat enim in doctrina rudi, nomen vſurpare

pare ſcietiæ) tertium eſt, & extremũ, vt viã, & iter meorũ inuentorum vobis proponã, quibus per legum æſtus & fluctus cum ipſe tranare conſtitui, tum alios traducere, qui mecum vela dare cogitant. Quod autem ſapientiſsimus poeta nautis præcepit in difficili, ſcopuloſoq; mari iactatis, vt ſub littora ſe colligerent, & nauem remis leuiter propellerent, ne ſi nimium concitato curſu ferrentur, alliſi ad ſaxa ſeipſi euerterent: idem nobis capiendum eſt conſilium, in his efferueſcentibus legum fretis, vt per inſtitutiones, quaſi littora, tranquillo curſu perreptemus, ne cæca quadam, & præcipiti temeritate elati, tumultuantium inter ſe decretorum, & conſtitutionum, veluti fluctuum, vi, & impetu obruamur. Nec conſilij nos huius pudere debet. Regium enim, & plus quam regium eſt, Iuſtiniano nimirum ipſo imperatore profectũ, & repetitum ab eodem, vt planè ita ſentire videatur. Nam Inſt. de iuſtitia & iu. ſ. His igitur generalitèr

tèr cognitis, hæc sententia ponitur, & Iustinianus ad.ff. præfatus, eandem iterat. Accurtius in ea tam vehemēs, & copiosus est, vt eodem modo perfectū ius, institutionū quatuor libris, esse credat, quo rerum natura, quatuor elementorum cōcursu, deuincitur. Et tam mirificus in hac re iureconsultorum consensus fuit, vt quorum sūma celebritas nominis, & scientiæ putatur, illorum scriptis maximè frequentatam omnem institutionum iuris rationem esse videamus. Itaque Martianus sexdecem voluminibus hunc locum patefecit. Vlpianus eūdem duobus astrinxit. Paulus & suos ad idem argumentum duos attulit. Caius pro se tres adiecit. De quibus libans omnibus, has Iustinianus institutiones perpoliuit, ex ipsis legum visceribus repetitas, prę clarissimis deriuatas fontibus principū iurecōsultorum, & ex ipsis luminibus fusas, excellentissimorū in iuris disciplina monumentorū. Duces antè vobis nominabā huius doctri-

næ, qui cum omnes post se libros institutionum reliquerint: quale nostrum hoc opus esse par est, coagmentatum, & exędificatum illis præceptionibus, & formulis, quas ex optimis authoribus lectissimas, acutissimi viri putauerunt. Equidem propter exquisitam elegantiam, introitum aptissimũ, & quasi vestibulum iuris, has institutiones appellare licet, propter firmitatem & robur, arcem munitissimam, propter commoditatem, speculam, propter amplitudinẽ & latas vias, regionem & regnum, in quo leges, omnem explicant, omnibus modis, vim, & potestatem suam. Nam cum infinita legum varietas, collecta longissimis plurimorum scriptorum libris, in recentiorem imperatorum ætatem sic inundauisset, vt ęquitas multitudine potius obruta, quàm illuminata perspicuitate constitutionum esse videretur: Iustinianus adhibitis exquisitissima scientia viris, licentiosè errantes, & tanquam extra ripas affluentes, legum tu-

multuantes turbas, certo quodam ordinis, & collocationis vallo circumſepiuit, & omnia ſuperioris ætatis inuentorum, tanquam examina, prius per fūdos alienos obuolitātia, hiſce ſuis aluearijs incluſit, quo modo certam ipſe ſibi poſſeſsionem eorum effecit, & eandem nobis reliquit certiſsimam. Itaq́ue mentes noſtras valdè propè ad harū inſtitutionum cōſyderationem admoueamus. Corpus enim quoddam modicum ſunt, ex omnis ætatis immani legū vniuerſitate confectum. Craſſus apud Ciceronem, duodecim tabulas non dubitat omnibus bibliothecis anteponere. Nos igitur hunc theſaurum, omnibus legum luminibus abundantiſsimū, nec duodecim arctatum, ſed multis tabularum millibus collocupletatum, quantam in ſe pręſtantiam habere iudicabimus? Frequentatur omnium ſtudijs ille Ciceronis planè aureolus liber de officijs, at quotam quæſo philoſophiæ præceptorum partem comprehendens? Epicuri

picuri κυρίας δόξας, Epicurea natio ſillabatim edidicerat. Quem tamen librum Cicero vult abijci. Platonis leges ad nouam reip. formam accõmodatas, & ipſas etiam admirabiles, quanto ardore ſtudiorũ perſequimur? Noſter autem iſte Cicero, rationem officiorum optimam, & excellentiſsimam afferens, noſter iſte, non Epicurus, ſed veræ fœlicitatis in hac vita perfectiſsimus inſtitutor, & author, noſter iſte diuinus Plato, non de peregrina quadam coniectans, ſed eas, quæ eſſe poſsint, & ſũt, ſaluberrimis inſtitutis fundans, quantos in animis noſtris motus excitare debet? Equidẽ has ad vos institutiones mecum afferens, eloquentiam affero nonnullã, permultum philoſophiæ, tantum de iure ciuili, quantum, varietatẽ omnium iudiciorum, delectatione maxima complere poteſt. Nam philoſophiæ fontibus, qui totum ciuile ius irrigari negant, aut non vident: neque philoſophi ipſi, neque iureconſulti ſunt, aut ſi ſunt ad-

modum dissimulant. Et qui facundiam in hoc libro desyderant, curiosius id faciunt quàm est necesse, & iuris ciuilis scientiam, qui consectantur, si populares amant & faciles locos, hi multi, & sanè plurimi hîc occurrent, si luctari libet cum difficultatibus, spinas reperiẽt, in quibus subtilitas quantalibet adhibere potest, si ad prisca, & vetera respectare volunt, hîc ortus, & incunabula licet ipsa videre, si recentiora, & propiora temporibus suis, huiusmodi huc multa influxisse animaduertent. Quorum sanè omnium exempla, facillimum esset ex ipsis institutionibus apponere, sed longum id esset, fietq́ melius, cum in res ipsas interpretatio qualiscunque nostra incurrerit, quam ordiri voluimus potissimum ex his libris, vt aliquam, omnes qui vellent, audiendi caussam haberent. Etenim qui noui veniunt ad hanc iuris disciplinam, hîc legum fundamenta cognoscent, quorum in hac doctrina studium inueterauit, æquitatis in hoc lo-

co rationes agnoſcent, neque quiſquam ſit tam paruo, & anguſto animo, vt hæc nimis altè ſupra ſe collocata eſſe putet, neque tanto faſtu, & tam confidenti arrogãtia, vt hæc nimium ſubter ſe ſubiecta eſſe credat. Omnis ætas, omnis indoles, hîc inueniet, vel quod addiſcat, vel quod recordetur, vel quod expetat. De quo mihi teſtificandum fuit, propter antegreſſum in his libris eximium mei præceptoris laborem, quo, licet multos erudierit, tamẽ pręteritus eſt à pluribus; & ſi cunctos informauiſſet, tamen iterari & inculcari indidem, ex quibus tam multiplex fructus exoritur, permagni refert. Neque vero librum ſumens eundem, me cum præceptore comparo, quem planè ſentio eſſe incomparabilem, ſed exceptas ab illo voces, & ſententias (quantũ quidem id facere poſſum) mihi ipſe infigã, & vobis vt infigi poſsint, prouidebo. Nam cum alia multa diuinitus, tum hoc etiam inprimis, & quidem ſuum, Smithus ſecum at-

tulit, legum vt ipſarum ſententias peruolueret, de turba commentatorum, & commentariorum minueret, non quòd interpretes iuris nõ perrimatus fuiſſet (per omnia enim illius acumen peragrauerat) ſed quòd maieſtatẽ, & numen quoddam iuris ſibi ex ſe eſſe exiſtimaret. Quã ego ſentẽtiã, non deſidia ſequi, ſed iudicio probare videor, ratione ſtabilitam, & exemplis, & imperatoris etiam edicto munitam. Etenim ortus, & fontes ſcientiarum, priſcis maiorum ſuorũ temporibus, puriſsimè fluxerunt, ſed inquinati cœno conſequutorũ temporũ loquacitatis, & inſcitiæ, ſuccũ & saporẽ amiſerunt omnem proprium, & ſuũ, ac in ſordidiſsimas lacunas degenerauerunt. Sic eloquentiæ verus guſtus, importunorum, & aſsiduorum clamatorum ineptijs obſoleuit. Sic dialecticam, ſic philoſophiam, ſic reliquas penè omnes ſciẽtias, pruritus quidã, & ſcabies audacis inſcitiæ infecit, ſic excellentiſsimum hoc ſtudium iuris ciuilis, quod ſince-

sincerissimum esse debuit, & quondam sanè fuit, nunc contaminatum & oblitum est peregrinitate verborum & rerum, vt Iustinianus ipse si reuiuisceret, nouum incendium inter hos iuris perturbatores excitaturus sit. Quod genus, à legum contrectatione, quemadmodũ, & quantoperè sũmouendum sit, ipse pro me Iustinianus dicit, cuius edictũ. ff. ad senatũ, & omnes po. his verbis, & hac præscriptione est. HOC autem, quod & ab initio nobis visum est, cum hoc opus fieri deo adnuente mandabamus: tempestiuum nobis videtur & in præsenti sancire: vt nemo neque eorum, qui in præsenti iuris peritiam habent, neq; qui posteà fierent, audeat commentarios hisdem legibus adnectere, nisi tantùm si velit eas in Græcam vocem transformare sub eodem ordine, eaque consequentia, sub qua & voce Romanę positę sunt, hoc quod Græci κατὰ πόδα dicunt, & si qui forsitan per titulorum subtilitatẽ adnotare maluerint,

& ea

tulit, legum vt ipſarum ſententias peruolueret, de turba commentatorum, & commentariorum minueret, non quòd interpretes iuris nō perrimatus fuiſſet (per omnia enim illius acumen peragrauerat) ſed quòd maieſtatē, & numen quoddam iuris ſibi ex ſe eſſe exiſtimaret. Quā ego ſentētiā, non deſidia ſequi, ſed iudicio probare videor, ratione ſtabilitam, & exemplis, & imperatoris etiam edicto munitam. Etenim ortus, & fontes ſcientiarum, priſcis maiorum ſuorū temporibus, puriſsimè fluxerunt, ſed inquinati cœno conſequutorū temporū loquacitatis, & inſcitiæ, ſuccū & saporē amiſerunt omnem proprium, & ſuū, ac in ſordidiſsimas lacunas degenerauerunt. Sic eloquentiæ verus guſtus, importunorum, & aſsiduorum clamatorum ineptijs obſoleuit. Sic dialecticam, ſic philoſophiam, ſic reliquas penè omnes ſciētias, pruritus quidā, & ſcabies audacis inſcitiæ infecit, ſic excellentiſsimum hoc ſtudium iuris ciuilis, quod ſince-

ſinceriſsimum eſſe debuit, & quondam ſanè fuit, nunc contaminatum & oblitum eſt peregrinitate verborum & rerum, vt Iuſtinianus ipſe ſi reuiuiſceret, nouum incendium inter hos iuris perturbatores excitaturus ſit. Quod genus, à legum contrectatione, quemadmodũ, & quantoperè ſũmouendum ſit, ipſe pro me Iuſtinianus dicit, cuius edictũ. ff. ad ſenatũ, & omnes po. his verbis, & hac præſcriptione eſt. HOC autem, quod & ab initio nobis viſum eſt, cum hoc opus fieri deo adnuente mandabamus: tempeſtiuum nobis videtur & in præſenti ſancire: vt nemo neq́ue eorum, qui in præſenti iuris peritiam habent, neq́; qui poſteà fierent, audeat commentarios hisdem legibus adnectere, niſi tantùm ſi velit eas in Græcam vocem transformare ſub eodem ordine, eaq́ue conſequentia, ſub qua & voce Romanę poſitę ſunt, hoc quod Græci κατὰ πόδα dicunt, & ſi qui forſitan per titulorum ſubtilitatẽ adnotare maluerint,

& ea quæ παράτιτλα nuncupantur, componere. Alias autẽ legum interpretationes, imò magis peruerſiones, eos iactare non concedimus: ne verboſitas eorum aliquid legibus noſtris adferat ex confuſione dedecus: quod & in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum eſt, qui opus moderatè confectum hucatque illuc in vniuerſas ſententias producentes, in infinitum detraxerunt, vt penè omnẽ Romanã ſanctionem eſſe confuſam cerneres. Quos ſi paſsi non ſumus: quemadmodum poſteritatis admittatur vana diſcordia: ſi quid autem tale facere auſi fuerint: ipſi quidem falſitatis rei conſtituantur, volumina autem eorũ omninò corrumpantur. Acerbum, & vehemens edictum (vt audiſtis) quo, ferreos vultus imperitorum commentatorũ imperator verberat, & contundit, eluſum tamen (vt ſcitis) & ſpretum, ſumma cum Iuſtiniani, tum ipſarum legum contumelia. Neque tamen omnes aſpernor, etſi videntur

dentur omnes edicto teneri, sed qui id rectè facere potuerunt, quales sanè fuerunt plurimi, multum illis attribuo, reliquorum farraginem inquinatorum doctorũ, non ego quidẽ obiurgo ipse deterrimus omniũ, sed Iustiniamus asperrima verborũ atrocitate damnat, & penè vniuersorum eruditorum cohors Iureconsultorum, maledictis figit. Ego verò, qui vitupero sanè neminem, laudo plurimos, nonnullos admiror, hanc, quantũ licet, moderationẽ tenebo, leges vt ipsas imprimis amare videar, deindè ab illis alienus ne sim, si qui simplicissimè leges, & planissimè nobis enarrauerunt. Quam vobis sententiam meam, quantum probaturus sum nescio, cupio quidẽ, & opto vehementer. Atq; hæc sunt, non sanè omnia, sed, quę tam breui tempore complecti possem, penè omnia mei ad leges itineris vestigia. Nũc à vobis omnibus hoc ad extremũ requiro, quod, ipse si non rogarem, æquissimum esset mihi concedi, primùm vt si ne-

minem odi vestrum, inuideã nemini, multos diligam, quosdam amem, omnes probẽ: labor vt meus, qui inter vos versaturus est, maledictis non infestetur, obtrectatione careat, sermones habeat eiusmodi, quales mea perpetuò transacta vobiscũ studia, videntur exposcere, & iure quodã suo vendicare. Non his æquari me velim, quos libenter agnosco magnos, & magni temporis iureconsultos, ex quibus, nemo mihi aut ignotus, aut iniucundus est, aliquorũ etiam vsum, & familiaritatem expetiui, nec ab illis, nisi inuitus, me disiungam. Itaq; sumant ipsi sibi ad commentãdum, & scribendum, mihi tempus ad discendum dent, & quoniã ita necesse est, docendum etiam. Illos igitur exorabo, maturos in iuris disciplina viros, vt æquitatis sacerdotes, quemadmodum Vlpianus eos appellat, æquitatis vt meminerint suæ: reliquos, initiatos quidem, sed qui in via, & in cursu adhuc sunt, monebo, discipulos vt ipsi se esse sciant, quorũ partes

discendi, non calumniandi esse debent. Vos autem, qui mecum, & ex me ius primū audire vultis, vos (inquā) proprius, & omnibus modis meus grex, in omni mecum studio humanitatis enutritus, ab humanitate, quam didicistis tam diù, degenerare tam citò non potestis, vt aliquid non probetis illius, à quo vobis ad hoc vsq; tempus, omnia periucunda ceciderunt. Plenus igitur optimæ spe, certissima maximorū fiducia vestrorum studiorum: cras ab ipsis institutionū principijs, initium mei laboris sumam. Qui vestris expectationibus si par erit, valdè lætabor, si de facultate fuerit imminutū, præclari conatus, & honestæ voluntatis cōscientia, me ipse sustentabo.

G. HADDONI ORATIO, DE obitu D. Martini Buceri.

MVltæ fortassis auribus, nulla potest oculis maior cōtra terrores mortis disciplina percipi, quàm hoc ipso præsente funere, luctuosissimo quidem illo, & ærumnosissi-

mo, ſed tamen ad communem naturæ no-
ſtræ fragilitatem ponderandam, aptiſsimo.
Chariſsimi patres, & fratres, patrẽ noſtrũ
& fratrem, excellentiſsimum doctorem D.
M. Bucerum cognouiſtis viuum, intuemi-
ni mortuum, vidiſtis hominẽ, cadauer cer-
nitis, audiſtis theologum præſtantiſsimum,
truncum ſine ſenſu contemplamini. Viuus
magiſter erat ad vitam Bucerus, idem mor-
tuus præceptor ſit ad mortem. Viuens, &
ſpirans aſsiduè nos erudiebat ex eccleſiarũ,
& ſcholarum pulpitis Bucerus, nunc mor-
tuus clamat ex pheretro, inuocat ex faſcijs.
Quid clamat? quid docet? quod ferè nun-
quam meminiſſe poſſumus, cum tamen
ſemper in animo inhærere debeat, exuen-
dam hanc mortalem vitam, induendã im-
mortalem, deponendum præſens, & labo-
rioſũ tabernaculũ, vt ſumatur ad æternitatẽ
perpurgatum corpus, deniq; exeundum
ex hoc ſeculo, vt tranſferamur in aliud, mi-
grandum ab hominibus, vt iungamur deo.

Quæ

Quæ si nobis omnia debent in omnibus funeribus occurrere, singularis animaduersio in hoc diuinissimo præceptore nostro M. Bucero esse debet. Deus enim naturã eius omnibus doctrinarum luminibus, & virtutum ita compleuerat, vt vnus nostra ætate dignissimus immortalitate videri possit. Recidit tamẽ ad cineres, vt surgeret ad coronã, & corpore correpsit in terrã, vt spiritu subuolaret in cœlũ. Nos igitur, nos, fratres, & vehementer quidem allaborare decet, vt excellentissimi præceptoris nostri vitam imitemur, mortẽ expectemus, subeamus labores, consectemur præmia, toleremus contumelias, ascẽdamus ad gloriam. His itineribus præceptor noster antegressus est, eisdem vijs erit nobis subsequendum. Qua in re, certiorẽ vt cursum tenere possemus, vtinam tempus, & valetudo mea ferrẽt, vt hunc vobis eximium virum particulatim, & omnibus membris expingerem. Sed nõ licet. Semimortuus enim de mortuo lo-

quor, de familiari familiaris, amicus de a-
micisſimo. Quapropter & morbus dili-
gentiam impedit, & familiaritas minuit au-
thoritatem, & amicitia vix aliquid conari
ſinit. Magnum enim, & planè incredibilẽ,
præceptoris noſtri morte, dolorem accepi,
neq́ue dubito, quin omnes acceperitis, qui-
buſcunq́ue vera dei religio, & vitæ hone-
ſtas curæ eſt. Nõ enim vnus erat ex docto-
ribus plebeijs, ſed ſingularis ex omnibus
theologiæ principibus, nõ quẽ multi lauda-
re poſſẽt, ſed quẽ omnes admirari deberẽt,
nõ quẽ omnes amici expeterent, ſed quem
vniuerſi inimici reformidarent, non ad
quoſdam Chriſtianos, ſed ad totum Chri-
ſtum, non ad certos homines, ſed omne hu-
manũ genus adiuuãdum, natus, & procrea-
tus. Multùm videor dicere, tamen cum im-
menſitatem eius bonitatis, & doctrinę, ani-
mo colligo, ſuperat eius doctrina meam o-
rationem, virtus etiàm cogitationem. Sed
de vita nõ loquar, quam licet propius aſpi-
cere

cere poteram, propter meam interiorem cum eo consuetudinem, tamen nimis mihi longum esset, & amicus frustrà laudarem, quod nemo vnquam ausus est inimicus reprehendere. De literis hoc vnum summatim ponam, quæ in alijs, singula singulis, ea in vno pariter vniuersa concidisse. Augustini fuit in illo acumen, Hieronymi linguarū varietas, & doctrinæ, disciplina Cypriani, Ambrosij authoritas, Originis scientia, Chrysostomi in docendo perspicuitas, Bernardi integritas in vita: vel hæc in illis priscis ecclesiarum heroibus vberiora si fuerunt, vti fuisse confiteor, tamen particulas ex omnibus, excellētissimus noster Bucerus tanto studio arripuit, tot ornamentis perpoliuit, vt si non vnus cum omnibus, tamen separatim cum singulis comparari posit: aut, in illo augusto veterum choro, si non prę sideat, in hominibus nostri seculi, omnibus ex partibus inter alios emineat. Sed infinitas eius laudes oratione

non

nō sequar, ad quas pauci, aut ne pauci quidē peruenire possunt, imitationem eius vitæ & fidei vobis iterum atque iterum diligentissimè cōmendo, ad quas, omnes se, quantum possunt, conformare debent. Quam ad rem si vita Buceri magnum momentum attulit, mors certè maius afferre debet, qui presens, & domesticus testis ante oculos iacet, præsentis vitæ occidentis, & futuræ nascentis. Bucerus si solus testis est, ne curetis, si maximus, contemnite. Sed Prophetæ mortui sunt, & Apostoli, magnis, & immēsis cœtibus, si multitudo spectatur: si dignitas, dominus noster Iesus Christus de gloria diuina seipse depressit, vt non solū mortē, sed eam infamē, & tetram oppeteret, vt primū cōmunis mortis, deindè etiā æternæ vitæ, in illo exemplū cerneremus. Primus igitur ad Christum respectus sit, quem Paulus primitias mortuorum vocat, quoniam primus viam ex morte ad vitam nobis cōmuniuit. Secundus ad Apostolorū,

&

& martyrum cateruas, quos dominus noster Iesus Christus ex horum corporum gurgustijs, ad æternam perpetuæ fœlicitatis domũ, ijsdem itineribus euocauit. Tertius in hoc ipso desigatur doctore Martino Bucero, quem ad Apostolorum ordinem aggregare possumus. Cum enim illorum in vita fidem, & doctrinam sequutus sit, non dubito, quin gloriam in morte sit assequutus. His igitur exemplis ita nos ipsos instruamus, & tam altè mentes nostras exaggeremus, semper vt sursum sint. Tum enim fidentibus animis, cum opus erit, ad mortem gradiemur, & ad illam hæreditatem perueniemus, quam deus cõmunis noster clementissimus pater, propter Iesum Christũ omnibus reseruat, qui synceris moribus, & vera fide ad illum confugiunt.

G. HADDONI SVFFOLCIENSES FRATRES, siuè de obitu Suffolciensium fratrum, oratio.

O Laboriosam, &, si non miseram, certè mirabiliter exercitam, tot cumulatã fu-

neribus Cantabrigiam. Graui nos vulnere percuſsit hyems, æſtas, ſaucios ad terram afflixit. Calendæ Martiæ ſtantem adhuc academiam noſtram, & erectam, vehementer impulerunt, & de priori ſtatu ſuo depreſſerunt, Idus Iulij nutantem iam, & inclinatam oppreſſerunt. Cum magnus ille fidei magiſter, & excellens noſter in vera religione doctor, Martinus Bucerus, frigoribus hybernis conglaciauiſſet, tantam in illius occaſu plagam accepiſſe videbamur, vt maiorem non ſolum vllam expectaremus, ſed ne poſſe quidem expectari crederemus. Verùm poſtquam inundantes, & in Cantabrigiam efferueſcentes æſtiui ſudores, illud præſtans, & aureolum par Suffolcienſium fratrum, tum quidem peregrinatum à nobis, ſed tamen planè noſtrum obruerunt, ſic ingemuimus, vt infinitus dolor vix vllam tanti mali leuationem inuenire poſsit. Perfectus omni ſcientia pater, & certè ſenex incomparabilis, Martinus Bucerus,

cerus, licet nec reip. nec nostro, tamen suo tempore mortuus est, nimirum ętate, & annis, & morbo affecta. Suffolcienses autem, quos ille florescentes ad omnē laudē, tanq̃ alumnos disciplinæ reliquit suę, tam repentè sudorũ fluminibus absorpti sunt, vt prius mortem illorum fleremus, quam morbum animaduerteremus. O crudelē morbum, ô mortem acerbam, non illis quidē in portum ingressis, & ibi conquiescentibus, sed nobis in vita iactatis, tanq̃ in mari, quibus illorum authoritate, & præsidio carendum erit. Dux enim ipse, licet non dum planè vir, tamen & annis ad iuuentutē penè adoleuerat, & ingenio ad omnes res gerendas ita ematuruerat, vt ex his omnibus nihil illi abesset, quibus illustrem personam vel ornari deceret, vel institui conueniret. Grauis erat sine superbia, comis sine leuitate, docilitate summa, minimo vt studio esset opus, diligentia tamen eiusmodi, quæ naturam posset etiam ex tarditate incitare. Sermo

verò penè omnis, & de doctrina fuit, & cũ viris doctis, quos & honoratissimæ cura matris illi multos circumfuderat, & ipse plures humanitate asciuerat sua. Nam cũ dignitate principibus esset par, tamen generosa quadam ingenuitate animi se cum infimis exæquabat, si quidem vllas eruditionis, aut ingenij notas in illorum orationibus inesse intellexisset. Iam congressus, nec muti illi erant, nec vulgares, nec rerum colloquia ludicrarum, aut leuium, sed proponebat aliquid semper, de quo & ipse dicebat, vt poterat, & alios audiebat libenter, si quid illis in mentem veniret. Oratio fuit illius sanè prompta, & explicata, nec se ipsa iactans, nec alios excludens, graui quadam perfusa modestia, quam, mentis æquabilitate perpetua sic tuebatur, vt nec se ipse vnquam desereret in dicendo, nec acerbè quenq̃ insectaretur. Reliqua vita, quæ quidem nobiscum acta est, vel tota literis transmissa, vel illis certè cõdita fuit. Quarũ studio

dio sic exarserat, vt nec collegia, nec scholas, nec otia, nec negotia, imò nec mensam, imò nec lectum, prorsus illarum expertes esse sineret. Itaq; minimo tempore, maximarum rerum doctrina sic euolauerat, vt eius etiam extemporalem in disserendo facultatem multi possent metuere, nemo cõtemnere deberet, laudarent sanè omnes, & admirarentur, quicunq; laude ipsi, aut admiratione digni aliquando sunt habiti. Erunt fortassè, qui vel hæc in illo non fuisse, vel non tanta fuisse credant, quanta meis ego verbis illa facio. Sed hi quicunque sunt, aut illum ignorauerunt, cuius vera virtus omnem orationis vanitatem repudiabat, aut me profecto non norunt, qui ad publicum tam nobilis personę testimonium, minimè sanè mendacium accõmodare velim. Talis igitur certè, talis Henricus ille Suffolciensis fuit, reliquis præstans vniuersis adolescentibus, ipse tum adolescens, & iam appropinquans, vt alijs omnibus viris, ipse vir

anteferretur. Talis illi succreuit frater Carolus, pubescens quidem adhuc, vt in vite gemma, sed qualem nostræ vites gemmã, aut parem vix habent, aut certè pretiosiorem omnino non habent. Nam illam nostram regalem margaritam, quam nomine nos singulari regiæ maiestatis honoramus, non alicuius vrbis, sed totius orbis, nõ hominum, sed humani generis, non vnius nationis, sed vniuersæ naturę lumen, & florem, nemo me ita desipere putet, vt aut cõparare cum quoquã velim, omni ex parte incomparabilem, aut nominare penè audeam, nisi magna cura, maiore causa, maximo tempore separatim me ad id præpauerim. Ad Suffolcienses redeo fratres, qui planè fuerunt huiusmodi, quales illos pono, vel multò maiores etiam. Nam eorum à me sũmatim percursa virtus, campum illum non habet, & cursum collegiorum, & scholarum nostrarum, in quibus liberè excurrens non solum vniuersa cognoscebatur,

tur, ſed etiam ſingulis partibus aſpici poterat, & euolui. Deus igitur, noſter immortalis pater, cum ſua præſtanti clementia nobis eximium hoc fratrum par attribuiſſet, & mater excellentiſsima, lautiſsimis inſtitutis illos educauiſſet, academia deniq; noſtra, ſcientiarum doctrina multiplici perpoliuiſſet, & ſubornatos omnium inſtrumentis præclariſsimarum rerum, reſpub. iam iam ad ſe eſſet euocatura: mirum non eſt, ſi mater liberos, & alumnos academia, deniq́ue reſpub. ciues, imò duces potius, cum vix è carceribus adhuc egreſsi eſſent, in eodem tempore, & in eodem penè veſtigio corruiſſe dolet, præſertim cum illos quaſi turbo quidam ſubitò corripuerit, vt prius mortui cernerentur, quàm morituros quiſquam ſuſpicari poſſet. Atq; hæc quidẽ, cum procul aſpicio, magnã mihi luctus cauſam, & mœroris habere videntur. Sed cum animũ adduxi propius, & penitus in rerum naturam intraui, me ipſe caſtigo, quòd ex animi

mei

mei mollitia, non ex præſcripto rationis de caſibus humanis exiſtimem. Quid enim illis longior vita profuiſſet? obeſſe potuit, vt obfuit ſanè multis, & profectò fortuna plus illis aduerſa potuit auferre, quàm afferre proſpera. Nunc enim animis optimè conſtitutis, ſecunda fama, nullis odijs, nullis æmulationibus, maxima gratia, ſummis omnium ſtudijs, vita quaſi ſomno, ſoluti ſunt: quę, ſi in terris cunctati eſſent, diuturnitas temporis, vel minuere illis multa poterat, vel omnino tollere vniuerſa. Nam & ipſa mutabilis fortuna fertur, & omnia ſũt eius membra cõmutabilia. Cuius rei penè tot ſunt teſtes, quot ſunt homines. Itaque ſi fortunæ regnum expectatur, cum opes, cũ victorias, cum dignitates cogitamus: occurrant egeſtates, fugæ, ſordes, & tenebræ. Nam & iſta ſẽper euenire poſſũt, & ſæpènumero ſummis viris eueniſſe ſcimus. Sed natura cum ægregiè ſe in illis oſtendiſſet, durũ eſt, quòd ipſa prius ſe retexebat, quã eius

eius pulcherrimis muneribus frui poterãt. Rectè esset, si quidem illis frueremur, quibus maxima ex parte ne vti quidem licet. Nam vt ordiar à sanitate, quæ reliquis spiritum, & vitam impertit, & quę si loco mota est, alia cohęrere non possunt: sub omnes illa morborum offensiones perpetuò subiecta est, qui aceruatim, & spissè veniunt, vt semper aliquis illorum in vitam nostram transuersus incurrat. Itaque Suffolciensibus planè gratulor, qui celeriter vita lapsi sunt. Nam si paulum tardauissent, ad extremum tamen illis occumbendum erat, & interim aut neruorum contractiones illos strinxissent, aut flãmæ febrium incẽdissent, aut frigora distillationum illiquefecissent, aut intendissent tumores, aut tãbes contriuissent. At non fuissent ista fortasis, at esse solent, at non semper, at plerunque, at non omnibus, at sanè plurimis, at illis non accidissent, at nescimus, at sperari poterat, at metui debebat potius. Nam in toto hoc

genere, & in vniuerso siue fortunę strepitu, siue apparatu naturæ, sunt illa profecto verissima Ciceronis nostri, non solum oratoris eloquentissimi, sed etiam sapientissimi ciuis, & planè veteratoris in communi vita, plures esse infœlices, quàm fortunatos, & prudentius metuere nos, quàm sperare, tum illud etiam, multo sæpius lachrymatũ esse Priamum in vita, quàm Troilum. Testes affert Cæsarem, & Pompeiũ, qui cum per omnes dignitatum gradus ad maturam ætatem ascendissent, illorum extrema tempora miserabilibus in ruinis iacuerunt, & alter tandem exul à barbaris, alter à necessarijs in senatu trucidatus est. Principes nominamus reip. Romanæ, poteramus greges coaceruare reliquorum ordinum. Sed externa prætermittatur, domesticos annales excutiamus, & quoniam à principibus sumus exorsi, commoremur in illis, & quidem vna familia contenti simus. Et quanq̃ patrem poteramus, tamen filiũ sumamus

Edo-

Edouardum tertium, cuius cum adolescē-tia Scotiam fregisset, iuuentus Galliam, & omnem Aquitaniam maximis, & continuis victorijs peragrauisset, inclinata iam & ingrauescens ætas, maximam horum partem ornamentorū illi detraxit, & belli calamitates, domestico funere nobilissimi pŕícipis Edouardi filij, cumulauit. Itaq; qui iuuenis mori potuisset, ipse rex, & imperator, & filium relinquens Aquitaniæ principem, senex tandem mortuus est, rex ille quidē, & singulari virtute, sed tamen multò minore bellica gloria, & multò maiore domestico mœrore. Princeps filius, hæres dum vixit patris fortunæ, primas res gestas habuit incredibiles, postremas, morbi labe deformatas, & seditionis. Richardus secūdus, principis Edouardi filius, & regis nepos, ad paternos deuolutus est, & auitos casus. Nam & puer renunciatus est rex, & in regno fœliciter adoleuit. At paulo post ita vir præcipitatus, vt priuatus sit mortuus. In

regibus igitur ſi fortuna ſic ludit, & eludit, quãtas in populo ſtrages edit? Dicerem ſi eſſet neceſſe, ſed ſatis nos communis vita docet. Illam autem ipſam matrem Suffolcienſium, optimam, & præclariſsimã mihi cognitam fœminam, ſic aliquot anni poſteriores exercuerunt, vt minimè ſanè dubitem, quin illis ſi potuiſſet, libenter fuiſſet caritura. Quapropter, vt tecum nunc aliquantiſper agam, te nunc appello, ſiue coniux nominari vis mariti ducis, ſiuè mater ducis filij. Si deus optionem tibi dediſſet, vt coniux, & mater, vel in illa ætate efferrere ipſa, in qua liberos extuliſti tuos, vel funus primum mariti, ita vt euenit, deindè gnatorum, nec coniux ipſa iam, nec mater cerneres: ſi deus (inquam) optionem dediſſet, & legere tuam te iuſsiſſet conditionem, vtrum ſumpſiſſes? Aut ego tuum non noui tenerum, & indulgẽtem animum, aut tuorum clades poſteriorum temporum, ſuperiorum annorũ amiſsione vel redemiſſes,

vel declinauisses. Igitur & alij te condoce-faciant, & in primis ipsa ex te disce, quid lõga series annorum afferat, imò quid auferat potius, vt ante dixeram, & præclarè cum tuis heroibus actum esse puta, qui in sũma rerum omnium prosperitate viuentes, non dum vertente fortuna, sic vitam dimisse-runt suam, vt honore abundantes, & inge-nio excellentes, vt literis florentes, & gra-tia, nihil haberent inuidiæ, nihil odij, nihil simultatis, nihil inimicitiarũ, qui suis tem-poribus optimis morte, tanq̃ somno conso-piti, nec tuum funus viderunt, nec cæteras tempestates reformidant, quas, vel suas, vel suorum maximas, longior illis dies inuexis-set. Quod si non acquiescis adhuc (tuum e-nim argumentosum agnosco in disserendo, & minimè cedens acumen) & externis te non commoueri dicis, sed illam te lucem, & splendorem animorum desyderare, qui tuis in liberis apparuerit, non curare te for-tunam, qualis fuerit, aut fuisset, verùm pie-

tatem, literas, & reliquam omnem insitam bonitatem & amauisse te præsentē, & absentem valdè requirere, his te lætatam fuisse interioribus ornamentis iam virescentibus, & iisdem angi te, tam subitò, & ante tempus euulsis, & eradicatis. Hæc, si disertus contra te, tuus dolor disputabit, breuiter illis omnibus, & verè à me occurri potest. Venisse tuos liberos ad illū ætatis flexum, in quo multi indole excellenti aberrauissēt, venisse ad illum lubricum, & præcipitem locum, in quo voluptas tot delectationes huic ætati profundat, vt prorsus difficile sit illarum aliqua, mentem à ratione, & officio non detorqueri. Meis nihil horum, inquis, accidisset fortassè. Sed tamen nec certò sciebas, nec illis viuis non metuere poteras. Si metuisse neges, tabulis obsignatis tecum agam, & historiam omnium illorum temporum tibi replicabo, in quibus piè mecum & diuinè loqui solebas, multum tamen & vehementer, vt facile te laborare cernerē, quo-

quomodo custodienda filiorum tuorum pubertas, quibus institutis moderãda, quibus habenis refrænanda, & deuincienda esset. Hanc deus tibi dubitationem exemit, hanc sollicitudinẽ detraxit. Si nescis quanto bono, quàm summa fœlicitate tua, agè verò, circumspice paulum, alienas familias nonnihil animo contrecta, videbis quanto dolore, quãto gemitu, tum suo, tum suorũ, quàm multæ, & magnæ, diù viuendo degenerauerint, & in acerbissimas miserias cõtrusæ sint. Titus imperator Romanus, Hẽrici tui similis in vita, similiter etiam in adolescẽtia mortuus est, cuius illa fertur in ipsa morte diuinissima vox, se cum ad omnem vitam respectaret suam, & in eam intueretur, solum in vniuersa rem vnam reperisse, cuius se pœniteret. Eandem, aut certè similẽ Henricus tuus vocem vsurpare poterat, & Carolus multò magis. At nec Titus potuisset ipse, si longiorem deus illi vitam dedisset, nec Suffolcienses potuissent tui. Nam

Nam & Vespasianus, Titi pater, oppressus à suis, & superiorum temporum multi in initio clarissimi imperatores, longinquitate temporis ita peruertebantur, vt vel ipsi in se incurrerent, vel in propinquorum, aut ciuium sanè suorum vim inciderent. Totum igitur hunc locum ita concludam, Deum non iratum gnatis tuis ante tempus eripuisse vitam, sed clementē, & tempestiuā donauisse mortem. Reddidit enim pro terra, cœlum, pro labore, quietem, pro incertis, certa, pro humanis, diuina. Quod si magis distinctè libet, & particulatim agere, cur tumultuaris? Quid vis? Quid quæris? Expetisti liberos? Habuisti. Præclara indole? Fuerunt. Honoratos esse? Maximè. Benè educatos? Optimè. Perfectos omni genere laudis? Ita cogniti sunt. At fuissent maiore gloria, si vixissent. At nunc mortui sunt maxima. At interim terris sublati sūt. Imò in cœlum translati sunt. At illorum conuictu cares, et illi tuo. Primum illi te non ca-
rent

rent iuncti deo, ne tu quidem illis cares, nisi fortè inuides. Nunc enim pro creatura, mortali matre, patrem habent immortalē deum, et ipsi prius creaturę mortales, nunc spiritus sunt immortales. Quapropter vniuersam excita pietatem, & gratiam, quæ largè tibi deus affudit, & non solum omnis tibi cōsidebit & sepelietur dolor, sed etiam vehementer lætabere tam breui tempore tuos filios mortis terroribus perfunctos esse. Ad quos nos quotidie vela damus, etsi reflantibus ventis nonnihil reijcimur, interim angimur in vita, & tamen paulò post eodē erit migrandum, & quidem cum impeditiores erimus, quàm Suffolcienses fuerunt tui. Cum hæc maximè scriberem, Henricus Hauardus, Thomæ filius, natu maximus, animam agebat, puer ille quidē adhuc, sed mansueto puer ingenio, & præclaræ spei, quem si deus ex ærumnis huius vitæ nondum gustatis, ad cœlum euocauerit, an non nepos Troilus iste mortem habebit,

bebit, Priami illius aui Norfolciensis vita, multò fortunatiorem? Hic in vita riserat penè semper, flerat nunquam, nimirum & puer, & puerili innocentia. Norfolciensis senex, exacta ętate, quàm magnas, & incredibiles, diù viuēdo, calamitates hausit? Sed satis est domesticorum testiū, & tecum satis est sermonis, ô præclarissima Suffolciensis. Nunc in his mihi terminetur oratio, quæ non sunt propriè tua, sed communia sanè omnium. Socrates in gentili sapientia deus, cum duceretur ad mortem, æquissimè ferebat, hoc ipsum prouidens, immensas huius vitæ miserias, tū longius etiam euectus, non semel, sed sæpè, se dicit velle mori, terrenam vt huius corporis molem, cupiditatum fæcibus oblitam, deponere possit, vt Aeacum, & Agamemnonem, & Vlyssē, & reliquam commentitiorū turbam heroum apud inferos degentium contempletur, & cum illis se cōiungat: et nos non pudet, qui christiani esse volumus, tam grauatè

uatè ad mortem ire, cum nobis non ad fabulosos iudices, sed ad deum patrem, non ad vana delirantium Philosophorum somnia, sed ad Christum, veram æterni patris sapientiam, proficiscendum sit? Iob, exercitatissimus in carne nostra communi vir, militiam esse dicit vitam præsentem. Ecquis igitur tam amens est, vt libenter in acie stare velit? vt sẽper pugnet? semper in pellibus excubet? præsertim cum tot & tam horribiles vndique circumfusos hostes habeat: interiores, mundũ, carnem, & diabolum, exteriores, illos, qui antè à nobis tacti sunt. Intus pugnæ, foris terrores. Clamat Paulus singularis in nostra fide princeps, & nobis denunciare videtur, vt, quantũ possimus, ab hoc seculo abalienemur, & semper ad vitam nouam, seculum nouum, terram nouam, vota faciamus. Nostra religio peregrinari præsentem dicit vitam à deo, sursum esse Hierusalẽ illam optabilẽ, veram Christianorum patriam. In illa na-

tione regnum est Christi, Martyrum triumphus, omnium corona christianorum militum. Huc omnes nostri maiores vniuersorum temporum, veram secum fidem afferentes, assumpti sunt. Huc recens Martinus Bucerus, noster excellens magister euolauit & recentissimè sequuti magistrum, discipuli Suffolcienses. Illis itaq; gratulemur, collocatis in cœlesti patria. Nos autem in hoc exilio terrestri tumultuantes, semper mortis tempus, hoc est, supremum seruitutis, & primum libertatis nostrę diem patienter expectemus absentem, & cupidè præsentem arripiamus, vt in hac vita legitimè certantes, & laborantes, quantùm licet, ad illas enauigemus diuinas oras, & quidem velis pansis. Feremur enim filij ad patrem, creaturæ ad creatorem, exules ad patriam, serui ad libertatem, quam nobis libertatem, deus omnis veræ libertatis author, Iesu Christi respectu, dei, dominique nostri, maturè concedat.

G. HADDONI, CANTABRIGIENSES, SIUE EXHORTATIO AD LITERAS.

QVanquam diù peregrinata valetudo mea morborum in cæco mari, vestris auribus & oculis abfuit, & vix adhuc nouã scholarum lucem aspicere potest: tamen cũ sanitatis quasdam reliquias, ex ægritudine recreatus, tanquam ex grauissimo quodã naufragio, recollegerim, eas ipsas, ita vt sunt, vobis repræsentandas, & in conspectu vestro collocandas esse existimaui. Summis enim semper & incredibilibus studijs vestris vsus sum, & me rursus infinita quędam cupiditas tenuit vestris in auribus cõmentandi. Quò factum est, vt adolescentiæ primùm illa priora, deindè iuuentutis hæc etiam meæ posteriora tẽpora vestris temporibus omnia transmitterem. Et cum singulos ætatis mea gradus animo cõplector, nullum à vobis remotum inuenio, nisi quẽ natura, vel morbus disiunxerit. Postrema verò pestis hæc corporis, fuit ea sanè teter-

rima omnium. Nam ſalutares naturæ ſuccos exorbuit, & neruos propè omnes mentis eliſit. Itaque tam longè hæc calamitas me à vobis abduxit, & in ea tam altè cecidi, pedibus vt ingrediens, animo non conſiſtam, & morbo liberatus, morbi tamen memoria terrear. Quapropter mea grauis hæc, & vehemens cum animi, tum corporis perturbatio, veſtra primùm æquitate ſubleuāda, deindè etiam alacritate adiuuanda, & corroborāda eſt. In quo duplex vobis conſyderatio eſſe debet. Primum erit, illum ſuperiorē, tantoperè probatum vobis Haddonum veſtrum, vi morbi fractum, & abiectum, reſtare quandam adhuc eius quaſi effigiem, vtcunque cohærentem, facultate penè nulla, voluntate ſanè non contemnēda. Secundum eſt, vt hoc ipſum apparens in oculis veſtris eius ſimulachrum, & animis occurſans, quantum vobis cunque exile, & imminutum videtur, tamen propius aſpicere velitis, & animis comprehendere.

Quæ

Quæ duo si vestra benignitas largè dabit, & vt solet, primùm maximas pro beneficio vobis gratias agã, deindè grandes etiam & vberes ex assiduitate vestra fructus pollicebor. Quanquam enim intermissa mihi diù, tamen non omnis amissa dicendi ratio est, & licet magna ex parte repressum sit ingenium, tamen non sic omnino depressũ est, vt se rursus non possit attollere, præsertim si flatus aliquis studiorum vestrorum se ostenderit. Ego verò prius excellentissimi præceptoris mei Thomæ Smithi vicarius, nunc regię maiestatis beneficiarius sũ, & ætate processi nonnihil. Itaque si minus sciens ad vos reuertor, tamen, vt arbitror, non minus sapiens, & eloquentiam si fortè minorem affero, tamen authoritatẽ affero sanè maiorem. Quapropter antè qui sũmissè loquebar, & vix in alieno munere vocem audebam mittere, nunc meam ipse rem agens, dilatabo spiritus, & liberè vociferabor, & vt ab omnibus exaudiri possim.

Qui ſunt autem iſti clamores, aut quæ tandem hæc vociferatio eſſe debet? Dicam apertè, quoniam neceſſariò dicendum eſt, minimè ſanè libenter omnes reprehendẽs, sed communem potius culpam noſtrã confitens, vt ea quamprimùm omnes exoluamur. Languori nimium nos ipſos dedimus, & ignauiæ, ſcholas in ſolitudine reliquimus, & vaſtitate, quas cum maiores noſtri communes nominari voluiſſent, propter liberè commeãtes in illis vltrò citróque literas, noſtra deſidia ſic contractæ ſunt, & tam inſignem ad paucitatem reciderunt, vt quorundam profeſſorum certæ ſedes, non vniuerſitatis cõmunes ſcholæ poſthac nobis cognominandæ ſint. Sed nec in his ſolũ inertia noſtra locis delinquit, quanquam grauiſsimè quidem in his, quoniam publicę quędam ſtudiorum exiſtunt, & ingeniorum officinæ, verum etiam ſerpit ſanè fòras, & in collegiorum ſe latebris occulit. Ingens, & horribile precatum, ô bone deus,

& ab ipso illo deo, quem iuraui seuerè vindicandum, nisi nos ipsi maturè correxerimus. Hîc enim deus orbis summus imperator, vnumquemq; nostrum tanquam in propria statione collocauit, vt mutuis officijs communem reip. societatem gubernaremus. Eandem in nobis spem necessariorum pietas insequuta, magnis impensis enutriuit. Eandem à nobis diligentiam academia suis incolis stipulata est, & nos iurati spopondimus. Eandem vniuersa patria requiret, cum in illa disseminabimur. Et tum quidem aut præstanda nobis erit, aut relinquendum totum hoc humanitatis nomen, in quo studia se nostra semper maximè iactauerunt. Equidem non solùm humanitatem hanc nostram doctrinæ propriã, sed ne illam quidem communẽ omniũ hominum retinere possumus, nisi publicam hãc optimarum artium mercaturã ingressi, sic collaboremus, vt ex opibus, & copijs nostris, primûm nobis ipsis seponi, deindè etiã

in alios deriuari poſsit. Meum autem commertium, licet propriè cum legibus ſit, & in iuriſconſultorum ſubſellijs habitet: tamen migret ſanè pauliſper, & cōticeſcat illa ſubtilis, & præciſa legum iuſtitia, ſumatur philoſophiæ popularis altera, quæ latis vijs it, & quam Ariſtoteles quaſi Luciferum ad omnes actiones nobis prælucere dicit. Hæc certè ruit omnibus partibus, & vniuerſa interit, dum nec prudentiam inſequimur, rerum cauſas inueſtigantes, nec fortitudinē confirmamus laborum patientia, nec intēperantiā excludimus animis, otio mollitis. Tria principalia iuris pręcepta ſunt, ex quibus primum, & maximum eſt, vt honeſtè viuamus. Igitur honeſtas vitæ niſi fortè à vobis aliena eſt, ne hanc quidem meam de communibus ſtudijs orationem à vobis alienam exiſtimare debetis. Pellatur itaque tandem animis noſtris omnis ignauia, tollantur, imò trahantur potius, & funditus eradicentur deſidioſæ ceſſationes. Eijciatur, & aſ-

& aſportetur, ſi nullo alio admonente, at me obteſtante & inclamante, monſtrum illud multiplex, concretum ex omnium vitiorũ colluuie, peſtis ſtudiorum, expultrix virtutis, vniuerſæ nequitiæ ſemen, otium. De quo tanq̃ diro quodam, & nefando veneno loqui non libet, longè exterminetur à noſtris oris, ablegetur ab omni ſenſu mentis, & corporis, deportetur aliquò in vltimas terras, vndè nec nomen quidem ad nos vnq̃ redire poſsit. Ad labores veniamus, cõmentationes, vigilias, & omnis generis exercitationes, quibus, tanq̃ ſaluberrimo quodam paſtu, mẽtes reficiuntur, & aluntur. Neque ſi conniuebant noſtri maiores, propterea nobis ſtertendũ erit. Imò verò contrà, ſtertere poterant illi ſanè, ſi volebãt, impunè, nobis ne cõuiuere quidẽ licet ſine ſummo ſcelere. Nam & maximis abundamus præſidijs omnium diſciplinarũ, quibus illi carebant, & optimorum doctorum multitudine floremus, quos prior ætas ha-

bere non poterat, & externa nobis adiumenta deus, & plura profudit, & maiora, quàm ex vlla ſuperiorum temporum memoria repeti poſſunt. Quæ dum paticulatim vobis breuiter expono, diligenter quęſo, quemadmodū cœpiſtis, attendite. Quoniam autem, vt frumentum ex ſpicis excutitur, ſic ex libris eruitur doctrina: primùm illos ipſos videamus, quorum monumentis omnia maximarum artium ſtudia fundata ſunt. Illis Cicero ſuā eloquentiæ præclariſsimam arcem exædificauit. Illis Ariſtoteles multiplicem acuminis ſubtilitatē limauit. Illis Zeno voluminum ſuorū infinitatē. Illis Plato philoſophiæ varietatem omnem combibit. Illis nata, illis progreſſa, illis confirmata, & conſignata tota doctrinarum ratio eſt. Manentibus illis, literę diù ſteterunt, & remanſerunt, eiſdem poſt incurſione barbarorū principum obrutis, & deletis, ſequutæ ſūt miſerabiles ignorationis tenebræ, quibus maiorum noſtrorum

ætas oppreſſa eſt, & noſtra etiam illis infe-
cta erat. Mea enim memoria ranæ ſchola-
ſticæ in ſacris ſcripturis obſtrepebant. To-
tum noſtrum ius Accurſianorum fæcibus
oblitum erat, vſque eò, Papinianus vt ſi re-
uiuiſceret, aut ex ſeculo priore Scęuola, le-
ges ipſi ſuas non agnoſcerent. Medicinam
Arabum ſcabies ita omnem occupauerat,
vt medicinæ ipſi opus eſſet medico. Philo-
ſophiā, atq; humanitatē adeò omnē tranſ-
marinæ ſordes inquinatiſsimorū ſcriptorū
ſic contaminauerant, vt nihil in illis ſynce-
ri, & ſalubris ſucci relinqueretur. Nos autē
vndique circumfuſi ſumus libris excellen-
tiſsimis doctrinarum cuiuſq; generis. Euā-
gelij lux, diuinis literis explendeſcit. Iuſti-
nianus, in ſolio ſedens, Caiorum, & Pau-
lorum ore ius reſpondet. Medicinam Ga-
lenus, & Hippocrates adminiſtrāt. Philo-
ſophia, Platonis fluit fontibus, & Ariſtote-
lis. In omni verò dicendi ratione, nos &
ſcribendi, Cicero ſic expolit, vt Ciceronia-
P.3. norum

norum nomen etiam in sermonibus indo-
ctorum hominum increbuerit. Magna sũt
hæc adiumenta mutorum magistrorum:
sequuntur illorũ, qui loqui ipsi possunt. Et
quidẽ illos potissimũ ipsos consyderemus,
quorũ præsens his tẽporibus nobiscum ser-
mo est. Primùm sumamus eum, qui de sa-
cris scripturis ad nos concionatur, quanta
varietate literarum, quàm exquisito iudi-
cio vir? Secundus sit sanè meus qui vicari-
us fuit, quoniam ius ciuile secundum nostrã
religionem præstantissimum esse arbitror,
huius si non optimè instituta oratio, at præ-
clarissimè constituta ratio est, multùm vi-
dit, multùm legit, & omninò tantùm habet
scientiæ, quantùm intelligẽs vir experiun-
do facilius animaduertet, quàm indoctus
aliquis procul auscultando possit suspicari.
Atq;, hoc in loco, delitias vestras obiurga-
rem, quòd iurisconsultum nisi eloquentem
audire non potestis, cum in nobis non ver-
ba spectanda, sed res ponderandę sint. Ve-
rúm

rùm hoc aliàs si opus erit, nunc in viam sanè reuertamur. Medicina præceptorem habet non promptissimè dicentem, fateor, sed subtilissimè profectò scientem. Contemnamus igitur, aut certè nimium non desyderemus in illo florem orationis, à quo si absit, non valdè sit requirendus, salubritatẽ scientiarum expectemus, quæ & in illo est maxima, & nos eam præcipuè sectari debemus. Philosophiam, & rhetoricen tradunt mei familiares, & collegæ, vix vt meũ illis domesticum testimonium prodesse possit. Academia igitur testis ipsa esse potest, non solum parati sermonis, & ingenij, sed etiam extemporalis facultatis, quę in vtroque cernitur. Nam magistrum in dialectica tanquam ignotum hominem prætereo, tamen doctum esse non dubito, quoniam academia rationem illlius habuit, cuius iudicium, mihi semper præiudicium esse solet. Iam in linguis tradendis, Hæbraica, duabus illa quidem columnis sustentatur,

tatur, altera vernacula, peregrina altera, firma vtraq;, & solida, quomodo narrant, ista qui norunt, nam ego non intelligo. Græcus verò noster doctor, qualis sit omnes audiuistis, & meminisse potestis, sermone soluto, & dulci, sciẽtia magna, & varia, celeri ingenio, memoria imprimis bona, denique præstanti etiam extemporali facultate. Breuiter, vt videtis, oratio mea publicos præceptores nostros præteruecta est, quos vberius etiam laudare poteram, sed vobis cogniti sunt. Et hæc sint satis ad id, quod hoc tempore volumus, nimirùm vt intelligatis, & libris, & magistris abundare nos cuiusque generis studiorum, & nostram esse dissolutam, & capitalem negligentiam, si tales domi nobis procreatas, in omnes obuolitãtes sensus, & in ipsis infixas academiæ nostræ visceribus opportunitates, oscitabũdi cõtemplemur, &, sine aliquo insigni fructu nostro, dilabi patiamur. Sed ista si fortè domestica fastidimus, & nostra,

nec

nec has doctrinæ vias perſequi volumus, niſi magnas ad opes, & ſummam dignitatẽ illis proficiſci poſsimus, age verò, nõ ſolùm honeſtati veſtræ, ſed etiam ambitioni ſeruiam. Exeamus igitur aliquandiù ex academiæ ſpatijs, & quidem rectà pergamus ad aulam, vbi Iupiter ipſe præſidet, imperijs, & opibus affluens. Ibi nobilitatis flos primùm nobis occurrit, tam admirabili cupiditate literarum incenſus, vt vndique ſibi doctrinam, & ſuis cõgreget. Nam partim ad nos ipſi deuolant, partim ad ſe nos euocant, penè omnes ita ſentiunt, ita loquuntur, ita præ ſe ferunt, vitam ſibi vix hominũ videri doctrinarum expertem, fruſtraque ſe poſſeſsionem agrorum ſuis liberis, & fũdorum relinquere, niſi ſapientiam, & moderationem, artium ſtudijs colligant, quibus rectè facultates ſuas adminiſtrare poſſint. Ex hoc generoſo nobilitatis ardore, non vnus, aut alter, ſe nobiſcum coniunxit, ſed integræ aliquot propemodum familiæ

noſtram in academiam infuſæ ſunt, & diſcendi cauſa noſtros ad cœtus ſe aggregauerunt. Rutlandiorum præclara ſocietas fuit, Matrauerſi comitatus inſignis. Sed Matrauerſus ipſe ſingularis inter omnes, & cuius pubertas multorum iuuentutem omni laudis genere tranſcendebat. Hauardorum adhuc globus cohæret: magna ſpe Suffolcienſium par ſummum, & excellens, nuper eſt mortuum. De quibus, cum ſua, tum etiam matris honoratiſsimæ cauſa, longa mihi ſumenda eſſet oratio, niſi memoria viueret illorum in libris, & niſi ſeparatim in eo, quomodo poteram, elaborauiſſem. Omni autem hoc ſermone noſtro videmus effici, minimè nobis illa negligi debere, noſtræ tot perſonæ, tam illuſtres, quæ tantoperè concupiuerũt, nec præmijs carituras apud parentes artes noſtras, quibus pueritiam filiorum ſuorum imbui voluerunt, & adoleſcentiam inſtitui. Quod ſi planè ſcire volumus, aliquantò adhuc propius

pius intrare licet, & ad illum interiorem aſcendere ſenatũ regiæ maieſtatis, qui primũ eloquentem habet illum Cecilium, alumnum olim, & incolam noſtrum, nunc lautiſsimum ſanè virum, & magno grauiſsimarum rerum vſu confirmatum. Is autem ita doctrinæ deditus eſt, & doctis viris, vt in illis, quantùm poteſt, acquieſcat, & quod reſpub. temporis relinquit, totum ad hanc delectationem ſeuocet, quam penè ſolam ingenuam, & homine liberali dignam putat. Northamtonienſis cupiditate noſtrorũ ſtudiorum ita flagrauit, vt ad illa curſum equorum incitaret, noſtriſq; ſubſellijs egregius hæros, hominum noſtrorum ſermonibus operam dans, ſe collocaret. Qui cum ſuos hæredes fortè non haberet, aſciuit ex noſtris externos, & illorum tenuitatem eximia liberalitate ſuſtentauit. Suffolcienſem verò, deus pro Suffolcienſi ſubiecit, tanta rerũ omniũ ſimilitudine, nihil vt penè interſit, niſi quod in adoleſcente præclariſsimam

mamam indolem admirabamur, in viro maturam veneramur, & perfectam virtutem, in illo ſpem ſequebamur, in hoc tenemus ipſam. Reliquis ita confuſi ſunt omnibus ornamentis, vt non hoſpes in alienum, ſed ipſe mortuus Suffolcienſis in ſuum rurſus locũ immigrauiſſe videatur. Henrici ambo, & quidem ex eadem domo, ambo doctrina præditi, doctorum cultores ſanè pręcipui, clemẽtibus ambo naturis, vterq; munificentia maxima, comitate ſumma. Quid autẽ Ruſſellius? quàm benè bonus? quàm piè doctus? quàm conſtanter Chriſtianus? Iam Northũbrienſis etiã, licet planè Muſarum voces propter Martis ſtrepitus exaudire non poterat, tamen procul auſcultãdo tantùm arripuit, vt intelligat ſanè ſatis. Et qua in re ſe nonnihil ſenſit impeditum, in eo filium Varuicenſẽ (adhibito ad hoc ipſum ex noſtris peculiari magiſtro) perpoliuit, pręſtantem illum iuuenem, non ſolum omni laude reliqua populari, ſed etiam hac

hac nostrarũ literarũ, & scientiæ. Tum etiã gener est eiusdem ducis Sidnæus, non solũ præclaro Musarũ, sed etiã amabili Gratiarum choro stipatus. Quod etiã Suffolciensis in Iana sua prouidit, quę mihi penè ex animo exierat, cum huiusmodi sit, & ore, & pectore, vix vt ætas, prę sertim in illo sexu, tantam eloquentiæ videatur, & prudentiæ coniunctionem habere posse. Sed hanc nobis admirationẽ minuit lectissimum illud, & lautissimum par regiarum sororũ, quarum maior natu Maria, talis omnium cõmemoratione celebratur, qualem in veteri memoria Læliam, aut Corneliam meminisse possumus, nisi quòd huius excellentissimæ virginis vberior commendatio esse debet, quàm illa præclarissimarũ fuit matronarum. Alteram ipse vidi præsens præsentem, & veneratus sum, non auream, sed gemmeam potius Elisabetham, oratione tam pura, & suaui, sententijs tam exquisitis, & crebris, comitate tam admirabili, pu-

dore quodam, & grauitate suffusa, vix vt cũ ea loquẽs, & eius sermonem attendens, ipse loqui quicquam, aut etiam cogitare possem. Sed longè mihi maior in fratre stupor obrepsit, quem maiestate regia deus inter nos elucere voluit, regalibus nimirùm, & imperatorijs spiritibus puerum, & indole tam altè exaggerata, tam celso animo, tam eximia conspiratione virtutum vndique circumfluentem, tot vndique illuminatum ornamentis: vt eius maiestatem temporibus nostris diuinitus attributam dubitare non possimus. Nam quæ separatim in alijs illustribus personis singula cõmemorauimus, horum ad regiã maiestatem vniuersorum huiusmodi concursus sunt, vt eius habeat melleum os omnem eloquentiam, ingenium incomparabile sapientiam, perfecta ratio iudicium, voluntas virtutem, diligentia doctrinam, deniq; reliqua omnis præstantia laudem omnibus ex partibus insignem, & eminentem. Itaque licet

pre-

pretiosus, & fragrãs iste fonticulus, occultis venarum vijs meet in toto corpore diffusarum nostræ reipub: tamen seclusis, & sepositis cæteris, nostrorum studiorum riuos tenebimus. Horum igitur tam puris, & altis gurgitibus regiæ maiestatis pubertas innatat, vt nullum, in vniuerso studiorum nostrorum mari, flumen sit, quo non secũdissimè feratur. Sũma varietate literarum & aula est, & academia. Sed summã huius summæ varietatis integram, in augustissimo rege nostro licet cognoscere. Nec sine causa cognominamus augustissimum, in quo, maximus ille totius orbis terrarũ imperator, Augustus, nõ solùm exęquatus, sed etiã sæpissimè multiplicatus est. Nam ille Romanorum Romanam, noster hic Augustus Angliæ, Romanam primùm ipsã exquisitissimè tenet, deindè Gręcã adiũxit, sanè præclarè. Cæteras autem transmarinas infudit, tãta venustate, & copia, singulis vt videatur tanquã vernaculis vti. Tum superi-

ſuperior ille veterũ temporum Octauius, ſolam ad bellicã gloriã adoleſcebat, ciuilẽ, & literatam laudẽ, primùm vel nullam, vel ſanè habebat pertenuẽ. Noſter verò recentiorum iſte temporum Edouardus ſextus, & ad armorum ſcientiã magnificis velitationibus præluſit, & in pacis artibus, ac ornamentis ſic euolauit, vt nulla maior eorũ perfectio, non ſolùm in actionibus apparere, ſed ne in animo quidem informari poſſit. Deus, ô noſter deus, qui puerum olim illum excitabas, Octauiũ Auguſtum, quatuordecim annos natum, ad ſtatum Romanæ reip. primùm quidem ex cœno ſeditionis extrahendum, deindè multarum & magnarum terrarum poſſeſsionibus amplificandum, affla, & imple, vel pari, vel certè maiori ſpiritu, noſtrum eadem ætate regem, non Octauium, ſed quod amplius eſt, Henrici octaui filium, non iam Auguſtum, ſed quod multò maximum eſt, auguſtiſsimum, puberem adhuc Edouardum

ſextum

ſextum, ſenibus ſuis maioribus illuſtriorē. Hunc, deus, donū tuum, & theſaurum noſtrum, tuum militem, noſtrum imperatorem, tuum ſeruum, noſtram ſalutem, tuis ita præſidijs muni, & vndique obſepi, nullū vt calamitatis genus hunc delicatiſsimum beneficio tuo nobis exortum florem perfringat, ſed vt firmis ſtirpium fibris nexus, tuam primùm religionem omnibus partibus conſtituat, deindè literas in toto regno, leges, & virtutem conſerat. Et ſanè ſerit ille quidē indies hæc omnia, & inter nos etiam, & his ipſis in ſedibus noſtris, in quibus quotidiè inſiſtimus. Quamcumque in partem nos commouemus, in regiam munificentiā veſtigiū ponimus. Regijs impenſis linguarū, & artium ſcientia, pub. in ſcholis noſtris obſoleſcens, reuireſcit. Regijs impenſis, ſolitudine dilabentes, & otio domus, in copioſiſsimam, & literis refertam ſocietatem commigrauerunt. Regia prouiſione leges, rēgia indulgentia immunitates nobis, &

noſtris, reſeruamus, & damus. Regia deniq́ue ſola, ſecundũ deum, & clementia ſtamus, & munificentia ſuſtentamur, & authoritate floremus. Neq́ue vnq̃ regia maieſtas ſe nobis immutabit, cum literarũ ipſa præcipuam cõmendationem, & ſummam habeat, cum nobilitatem ad nos aggregari videat, cum omnem ſenatum interiorẽ, vel eruditum ipſum, vel eruditionis admiratorem eſſe intelligat, cum familiam ipſam à doctis habitari, cubiculum etiam à literis foras obſideri, & literis idem intus circumſonare cernat, maximè autem cum magiſtris vtatur, altero Checo, incola quondã, & academię noſtræ inquilino, dij boni quo viro? Quantũ in illo facũdiæ? Nõ peregrinioris huius & degeneris, ſed illius incorruptæ, veteris, & Ciceronianę, quàm magna & multiplex illi ſcientia, primùm in perceptione linguarum, deindè in diſciplinarũ cognitione, quarũ, quas prophanas, & gentiles dicimus, ita percurrit, & euoluit, vt ſacras

cras interim, & proprias nostræ religionis edidicerit omnes, & memoriter teneat. Tū in tam infinita scientia, summissus animus, sui nunq̄, aliorū semper ingenuus laudator, & ad omnes bonos in sūmis occupationibus officiosissima comitas. Breuiter omnia huiusmodi, Cantabrigia sēper vt in illo lætari debeat, regia maiestas diù frui possit, & vt spero, fruetur. Coniunctus est in illo munere, qui literis, & pietate cū Checo coniungitur, Cocus, recondita scientia vir, exquisito literarum iudicio, multiplici doctrina, memoria sanè admirabili. Cecilium ante bienniū, officij causa, sum ad ædes Coci prosequutus. Quā ibi domum vidi? imo paruā quandā potius academiam. Equidē ibi versans, in Tusculanis mihi videbar viuere, nisi quòd fœminarum etiam in hoc Tusculano vigebat industria. Certè quidem in ipso Coco plus reperi salubris, & frugi doctrinæ, plus in liberorum educatione, piorum, & paternorum laborum,

quàm huiuſmodi domeſticis parietibus videbatur contineri poſſe. Quoniam igitur artium noſtrarum, in nobilitate tam longa ſeries antegreſſa eſt, vt eadem regiæ maieſtati non ſolum pleniſsimè circumfuſa, ſed in illā ipſam vberrimè infuſa, deindè cum in preceptoribus regijs copioſiſsimè ſit ſubſequuta: magnam ad extremum, & memorandam diſciplinarum noſtrarum amplificationem concludi neceſſe eſt, ſi circūfluentibus vndique præſidijs præclariſsimorum ordinum omnis generis, & etiam flante fauonio maieſtatis regiæ, nos etiam continentibus ſtudijs, & perenni labore, veram ad pietatem, & artium optimarum ſcientiā vela demus. Qua in re veſtris frætus officijs, & diligentijs, omnem amputabo reliquam orationem, & ad præſentis loci conſyderationem vos reuocans, in eo ſermonem terminabo. Quam igitur corā vobis nunc ſcholam teneo, quę videtis à me hoc tempore veſtigia imprimi, in eadem

paulò

paulò antè inhabitauerunt, & in eiſdem veſtigijs inſtiterunt duo Cantabrigienſis academiæ principes, & Checus, & Smithus, quos ego meis ita ſermonibus ſemper inter ſe comparaui, neutrum vt in noſtris ſtudijs altero ſuperiorem, & tamen ſingulos alijs ſanè omnibus anteferendos eſſe putarem. Hi, decurſis inter nos paucorum annorum ſpacijs, ad arcem exiſtimationis aſcenderunt, & iuuenilium inter nos exantlatorum laborum, magnos, & maturos fructus percipiunt. Poſſem aliorum nominibus noſtrorum hominum volumen implere, qui literarum commendatione maximas ad dignitates aſcenderunt. Sed properanti tantùm genus ipſum fuit attingendum, & principes nominandi. Vos & iſtorũ imprimis, & cæterorum itineribus optimorum, & eruditiſsimorum virorum, ad virtutem, & doctrinam ingredimini, primùm, vt deo, deindè etiam regiæ maieſtati ſeruiatis, & reipub. poſtremò vobiſmetipſis

ſis honeſtatem, & academiæ gloriam afferre poſsitis.

GVALTERI HADDONI ORATIO, habita Cantabrigiæ, cum ibi inter alios Viſitator regius verſaretur.

TRiſtiſsimi rumores, Cantabrigienſes mei, de clade ſtudiorum veſtrorum emanauerunt. In quo licet communem omnes boni dolorē acceperunt: tamen noſter in eo ſingularis luctus fuit, qui fratres, & familiares veſtri ſumus. Eandem enim vobiſcum matrem academiam agnoſcimus, & veneramur, ex eiſdem literarum fontibus omnes hauſimus, hîc ortus diſciplinarum noſtrarum videmus, hîc commētationum incunabula contemplamur. Quapropter Vlyſſes ſi tantū Ithacam ſuam, tanquam nidulum in ſaxis ſuſpenſum, dilexit, vt illā immortalitati anteponeret: præſtanti nos, & eximia charitate Cantabrigiam complecti debemus, arcem doctrinarum, & columnam omnis humanitatis,

tatis, & scientię pręstantissimam. Et profectò fratres ita facimus. Hæ voluntates, hæ cogitationes, hi nostri sensus sunt, vt omni genere laudis florentissimam relinquamus hanc nostram literarum, & artium cõmunem patriam, & semina pietatis in ea conserantur, & virtutis, vt iuuentus rectis salutarium præceptorũ institutis, ad verum dei cultum, & vitæ conuenientem honestatem conformetur. Egregium hoc propositũ, etsi valdè laudabiliter ab excellẽtissima regina profectũ, et sũma alacritate susceptũ à nobis sit, tamẽ vtiliter ad exitũ procedere nõ potest: nisi quãta clarissimę reginæ propensio fuerit nobis in rebus optimis præcipiendi, nosterq; labor erit separatim easdẽ causas explicandi, tanta vestra sit illas excipiendi facilitas, & voluntas eisdem obsequendi. Frustrà etenim omnis pręstantia legum est, nisi studia parentium inueniantur. Cur autem promptè vos ad ea debeatis offerre, de quibus in hoc tempore vobiscum

biſcum tractaturi ſumus, perſonarum beneuolentiæ ponderari poſſunt, quas deus in hoc negotio collocauit. Ortus ex auguſtiſsima regina eſt, quã ſi verè quis ex vniuerſa præſtantia cognominari velit, reip. noſtræ ſtellam, lumen muliebris ſexus, & planè gemmam orbis terrarum eam vſurpare poterit. Hæc omni genere literarũ, & linguarũ excultiſsima princeps, ſtudia veſtra diligit, vos amat, atq; adeò Cantabrigienſe literarũ vetus hoc, & illuſtre domicilium magni facit, & ab alijs vt celebretur poſtulat, & diſciplinarum veſtrarum dignitatẽ amplificare concupiſcit. Sæpè ſciſcitatur à me, quem ſola commendatione literarum habet circa ſe, quantum vniuerſa Cantabrigia neruorum habeat, quantum facultatis ſit in ſingulis, quid vnusquiſque veſtrum vtilitatis ex quaq; diſciplina poſſit ad remp. afferre. In quo licet tam copioſè non poſſum reſpondere, quàm mea voluntas fert, & merita fortaſſè veſtra requirunt,

rũt, tamen quod ſentio planiſsimè loquor, & illam planè delectari veſtris laudibus intelligo. Quapropter ſicut neminem Anglia principem vnquam habuit, quem literis, & ſapientia poſsimus, & omni reliqua præſtantia cum Eliſabetha comparare: ſic Cantabrigia talem eam pietatis adepta patronã, & virtutis eſt, qualem nec habuit antehac, nec deinceps arbitror aliquando habituram eſſe. Sequitur illuſtriſsimam reginam cancellarius veſter ornatiſsimus, imò verò ſtudiorum, & artiũ, & inprimis Cantabrigienſis noſtræ ſedis præcipuum, et ſanè ſummum ornamentũ. Cuius vt omnem excellentiam virtutis, et meritorum ſummatim complectar, equidẽ Anglia nihil illo ſecundum principem habet melius, nihil prudentius, nihil ſynceriús, nihil denique veſtri, veſtrarumq; rerũ omnium amantius. Frequenter nos, propter illã, quæ mihi cum eo eſt, neceſsitudinem, inter nos familiariter de ſtatu veſtro

commentamur, credite mihi, qui minimè certè libenter mentior, nunquam singuli magis dilexerunt singulos, quam ille vos amat vniuersos. Nunquam diligens paterfamilias studiosius negotia priuatæ domus procurare visus est, quàm ille nostrã hanc, publicam quasi familiam doctrinarum, administrat. Cum hac illius beneuolentia, deus maximam coniũxit principis gratiam, ex quo efficitur, vt tantum vobis prodesse velit, quantum posit, posit verò quantum profectò velit. Tertio loco sumus hi, quos hîc ante vos astare videtis, fratres, et domestici sanè omnes. Cocus enim, præstantissimus quanquam ipse sibi magister fuit, et domũ priuatam ludũ ad discendum esse voluit: tamen similitudine studiorum, et assiduitate, planè noster est, et cum in illis, tum in omni, digna homine nobili scientia, tantum profecit, deniq; nos & rationes nostras omnes tam impensè colit, vt huiusmodi Cantabrigia suæ laudis alum-

num, & querere deberet, si deesset, & nunc diuinitus datum nunq̄ debet à se dimittere. Reliqui, quales sumus (quoniam vobis nō sumus ignoti) vestrū est, nō nostrū iudiciū. Quales autē cunq; sumus, duplicē nobiscū cōmendationem afferimus. Vna est, quòd ex ijsdē huius academiæ spacijs sumus, ex quibus vos existitis, atque adeò ex ipsis illis vestigijs, in quibus vos insistitis. Altera est, quòd partim adhuc in academiæ complexu sumus, partim ab ea tam recens dimoti, vt vigens adhuc, & flagrans in nobis sit huius communis nostræ matris academiæ studium. Cum autem hæc omnia vobis ad optimam spem tam abundanter occurrant, crescat ex hoc tempore vestrorum animorum intermissus ardor, reuiuiscant intermortua literarum studia, rursus, tanquam ex noua stirpe, perceptio magnarū disciplinarū efflorescat. Quanquam asperum censuræ nomen, & odiosū est, tamen nihil sæuum timere, nihil à no-

bis atrox expectare debetis. Descendimus ad medicinã academię languenti faciendã, sed ad hoc, nec ferrũ, nec flammam adhibebimus, generosis fomentis vtemur, & mollibus remedijs. Deniq; talem curationem instituemus, qualem necessitudo nostra requirit, qui fratres, & vterini quidem omnes, nimirum ex eadem matre sumus. Vos autem illud ex Hippocrate memineritis, non solũ debere medicũ ita se gerere, quemadmodum oportet, sed & ægrum, & assidentes, & externa. Multum enim ad academiæ salutem, & vestram interest, vt omnium rerũ status, planè nobis, et apertè repræsentetur, ita vt est, vt rectè de nobis & beneuolè sentiatis. Sic enim medicinam à nobis libenter sumetis, si iudicabitis amanter à nobis exhiberi. Nos autẽ omnes (hoc enim pro collegis meis affirmare possum) optimis animis, & pręclarissimis voluntatibus ad inspiciendã præsentẽ rerum vestrarum conditionem accedimus,

vt illam omnibus modis, quantum possumus, meliorem efficiamus. Vobis deus de cœlesti sapientia infundat, & submissos spiritus det, vt cogitationes vestras ad intelligendum exacuatis, & vos accommodetis ad illorum consilia, qui propter scientiam cum pietate, & beneuolentia coniunctam, saluberrimè vobis in omni genere officiorum præcipere possunt, & volunt.

G. HADDONI ORATIO ad pueros Ætonenses.

MAgnā locus admonitionis vim habet, suauíssimi pueri. Nam hæc ipsa cernens, quondam mea, nunc vestra studiorū incunabula, communium memini vestrarum literarum, & vos amo tenentes illum vitæ cursum, in quo vos ipse sum antegressus. Quales enim vos nūc estis, tales nos olim pueri fuimus, et quales nos iam esse cernitis, tales vos dies viros efficiet. Quapropter si nōnullis in personis magna vobis occurrunt, & memorabilia scientiarū, & mo-

rum ornamenta, primùm cognoſcite principijs illos eiſdem eſſe profectos, quibus veſtræ iam ætates fundatæ ſunt, deindè collaborate, ſimilis vt progreſſus veſter, & par ad extremū exitus eſſe poſſit. Etenim hoc valdè ſanè veriſimiliter affirmare licet, quòd illa, quæ ſunt in alijs maxima, nunquam in vobis erunt magna, niſi teneris in his annis veſtris, cœperint eſſe aliqua. Cur autem ad principatum quendam laudis ab hac florentiſſima ſchola cōtendendum ſit, paucula proponam, nota familiariter. Iucundior enim domeſticarum rerum ſermo vobis erit, & facilius in memorijs veſtris inſidebit. Primum autem, & ſummum eſt, quòd diſciplinam habetis perfectiſſimam, & deſcriptiſsimam, per omnes literarum, & morum veſtrorum partes permeantem. Etenim ſiue libris occupamini, ſiue iucūditati vos datis, ſiue foras progredimini, ſiue domi vos tenetis, ſiue precamini, ſiue veſcimini, ſiue quid aliud agitis, vitæ cuſtodes

omni-

omnibus in locis dispositos habetis. Omninò vos commouere non potestis, quin statim in aliquam censuræ particulam vestigium ponatis. Omnes loci pleni vobis officiorum vestrorũ occurrunt, omnia tempora, imò vero singula temporum momẽta, certam habent, vel fructuosi studij rationem, vel honestæ voluptatis oblectationẽ. Magna laus, & planè summa maiorũ vestrorum, qui vestrę iuuentutis exercitationes, tam sapienter dispertiuerunt. Vos elaborare debetis, ne frustra tam egregia disciplinarum, & virtutum adiumenta prouisa sint. Quam ad rem crescet in animis vestris ardor, & alacritas, si diligenter, & attentè recordemini, qui, & vndè sitis, qua spe, & expectatione hic collocati, quem ad finem reseruati. Nimirum regales ij cætus vestri sunt, regale semen estis, regalis familia. Quapropter grandes, et vberes fructus ferre debetis. Regalibus stipendijs omnes militatis. Itaque singularis, & excellens in

vobis discēdi sit assiduitas, vt quantum fuit in munificentia principū admirabilitatis, & præstantiæ, tantum in literis vestris esse possit laudis, & industriæ. Nec frustra vobis labores erūt suscepti. Quot enim resp. dignitatum gradus habet, tot vobis pręmia studiorum vestrorum pręparata sunt. Et, si vobis magnū videtur, aurum, & purpurā intueri, seruorum greges, instratos equos, possessiones etiam, et fundos, et cętera vitæ partim adiumenta, partim ornamenta: scitote vestris scientijs, & virtutibus ista quotcunq; sunt, et quantacūq; sunt, deberi sanè omnia. Certè quidē in ipsis istis puerilibus subsellijs, decanos, collegiorum pręfectos, iureconsultos, medicos, iudices, episcopos etiam, & senatores video. Nunc laborare vos aliquādiu non pœniteat, paulò post beneficijs, & emolumentis, honoribus, & ornamētis, non solū explebimini, sed etiā accumulabimini. Si dubitatis, hęc ipsa contēplamini præsentia tempora, quæ maiorem

vestris

veſtris ſtudijs honorē exhibuerunt, quàm vnquam optare auſi eſtis. Primùm excellē-tiſſima regina (qua nunquam ſol quicquā in terris vidit ſpecioſius, aut omni genere decorum, et ornamentorum illuminatius) cum vix adhuc in palatio ſuo conſtitiſſet, poëtam ad ſe veſtrum admiſit, poëma ſuſcepit, & honorario luculento ſtudia veſtra cohoneſtauit. Deindè ſenatus, & nobilitatis flos, hæc literarum veſtrarum curricula benigniſsimè viſitauit, & indoles veſtras, quantum tempus ferebat, deguſtauit, ad extremum præmijs vos, & laudibus beneficentiſſimè dimiſit. Si capita vos, et lumina reipub. tantum in hac ętatula propter ſpem literarum nonnullam diligunt: quantum literas ipſas in vobis enatas, & effloreſcentes amabunt, cū viri eritis, & ſinguli, ſingulis in reip. partibus collocabimini? Sed fortaſſè tēpus hoc longè vobis abeſſe videtur. Nō profectò, ſed adeſt, aut propè eſt, volat enim ętas. Interim diſciplinis veſtris tot re-

perietis fautores, et virtutibus, quot in Anglia docti reperiuntur, & boni. Separatim autem, & præcipuè vos curabit indulgentissimus vester præfectus, qui vos amat non secus, quàm pater filios, qui vestras cõmoditates putat suas, qui ne viuere quidem deinceps ipse velit, nisi vos vt eruditissimos videat, & optimos. Astat autem ante oculos præceptor sanè laudabilis, qui vestras pueritias informat, ipse iuuenis, in quo magnum vobis solatium propositum est. Etenim ipsi, cum adoleueritis, ad aliorum gubernationem adhibebimini. Postremò me videtis, familiarem vestrum, & alumnum huius scholæ. Quanquam autem me mei valdè pœnitet, nec quicquam in me positum esse sciam, quo magnoperè possitis vti, tamen totum hoc, nescio quid nihili, quod in me est, commoditatibus vestris, & opportunitatibus do, dedicoq;. Nec enim quicquam in vita mihi potest optabilius accidere, quàm vt hæc nobilissima litera-

rum

rum ſedes, plurimos ſubminiſtret egregios, & principi ſeruos, & reipublicæ ciues. Atq; hęc ſũt illa paucula, quæ in hoc tẽpore volui attingere. Cũ ætas ſe veſtra corroborauerit, et ematuruerint animi, plura vobis (ſi opus erit) & grauiora proferam. Interim viuite, valete, & creſcite, vt deo gloriæ, reip. honori, & vobiſmetipſis emolumento eſſe poſſitis.

Finis orationum.

GVALTERI HADDONI,

legum doctoris, sereniss. reginæ Elisabethæ à supplicum libellis, *Epistolæ, à Thoma Hatchero Cantabrigiensi collectæ.*

G. HADDONVS ILLVSTRISSIMO Henrico Brandono Suffolciensi duci S. D. P.

PRæstantissime dux, nunquam omninò defuturam mihi orationem existimaui. Deest autem profectò. Quibus enim verbis te affabor? Gratias agam quod me tanti facias? Cōmune, & translatitium est, & cum omnia cumulauero, nullam partem assequar tuorum meritorum. Cuiusmodi enim est hominem plebeium, & tenuem, & si non omninò abiectum, tamen vnum è multis, iacentē in morbo, & cura, non solū domi in ipso miseriarum hospitio visitari, sed etiam cum erepsissem ex eo, quemadmodū potuissem, aduolauisse statim tuam omni genere honoris confertam perso-

personam, & discessum meum præsentia tua cohonestasse. Non multũ (vt scis) eo tempore sermonis mihi fluxit, tantum de generosissima cogitanti tua natura, prorsus vt reliquũ omne officium, non solum intermitterem, sed etiam amitterẽ. Ex eadem, tacita memoria tuę singularis, & infinitæ beneuolentię est, quòd in literis ista nõ pono, quę animo firmissimo tenebo. Tandem deus mihi corpus suppeditet, de voluntate spero te dubitaturum non esse, interim absens vota faciam ad doctrinam, & prosperitatem tuam. Hoc etiam non præcipiens quidẽ (nec enim decet) sed admonens, vt Ciceronis patris ad Ciceronem filium, Suffolciensis matris ad Suffolciensẽ gnatum, regis etiam, & reip. consilium esse existimes. Disces quàm diu voles, tam diu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non pœnitebit. Nunquam vna fuit tam pretiosa sentẽtia. Quod facilè tibi probarem, si per partes eam liceret euol-

uere. Sed nec mihi licet, nec ad te opus est, cuius animaduerti tantam discendi nō solum cupiditatem, sed etiam assiduitatem, et constantiam, quanta cum teipsum inprimis, deindè matrem, & remp. olim lætaturam esse confido, & planè iam animo prouideo. Morbus vrget, itaq; te dimittam, illud apponens, nec Ciceronem, nec stylum tibi intermittendum. Stylus enim optimus dicendi magister. Si continua Ciceronis lectione confirmabitur, vnus, aut alter annus, talem nobis Suffolciensem afferet, qualis nunquam Haddonus fuit, quem multitudo aliquid esse credit, nimirum ipsa quoniam parum intelligit. Hunc diem maturet deus, vt mater in eo triumphet, quæ cum propter hanc rem tantum capiat laboris, æquum est, vt aliquem ex eo insignẽ, & præstantem fructum præcipiat. Sanè quidem ęquissimum est, & tibi non dubito ita videri. Vale, & me dilige absentem, cui tantum præsenti tribuis, vt communis opinio

pinio sit me à te amari. Ego summatim, vt more meo loquar, tibi seruiam. Vale.

EIDEM.

DIligenter, & laboriosè fecisti, præstantissime Suffolciensis, quòd tam celeriter ad Ciceronẽ ingressus es, & benè est, quòd votum in illo tuum fuit, vt ita faceres. Meũ certè mandatum non fuit, consilium fuit, cui te parere lætor, nec dubito quin tu lætabere. Dicis valetudinem tuam cursum retardauisse, quod mihi percõmodè accidisse videtur. Nec enim te nisi febricula retẽtauisset, nos tam incitatos impetus videre potuissemus. Quòd de te confidis, & pro mea salute verba facis, vtrunque mihi iucundum est, & te in spe optima esse, & meam esse tibi sanitatem optabilem. De Cicerone tibi iudicium sumis, aut non sumis quidem, sed si detur, videris non recusaturus. Vtrunque rectè. Dijudicandum est enim inter omnes, & omnia. Cuius rei Cicero

cero nobis ipse grauissimus author est, & tamen aptũ ætati tuæ fuit, & verecundiæ, non ipsum ad tam singularem virum irruere, nisi petita venia. Sed eam requirenti quis concedet? Equidem difficile est dicere, sed tamen euomuerunt nostra tempora quosdam Anticicerones, qui largius quàm tu postulabis. Sed tu modestè petis, & Ciceronem vberius intelligendi causa, non peruersè calumniandi. Quapropter æquissimum est rogatui tuo satisfieri. Quemadmodum enim in repub. nemo tam potens ciuis esse debet, qui, si opus erit, legibus cõuenire non potest: ita nec in literarum rep. quisquam sic vltra communem omnium sortem transcendat, vt non ingenij, & eloquentiæ, si res foret, rationem reddat. Hanc semper auitam libertatem nostri maiores assumpserunt, & eandem nobis, quasi liberis, hæreditatem reliquerunt. Itaque nec pręstantia te Ciceronis exterreat, quæ modesto contradicendi studio magis crescit,

cum propius noſcitur. Nec meum te iudicium de Cicerone perturbet, quod illos contra Ciceronem furioſè clamatores, nõ fert: ſtudia diſcentium amat, & adiuuat, quorum eſt Ciceronis admiratio, literarũ, & eloquentiæ. Nec enim in vllis alijs benè comparatis ſecus accidere poteſt. Tandem adfers, in quo maiorem Cicero facundiæ, quàm veritatis rationem habuiſſe videtur, nec id tamen, niſi pace mea, vis videri audere. Diffidenter tu quidem, aut diſſimulãter potius, ſed tamen grauiter, & decorè. Quanquam enim nec ſcientiæ, nec literis, quæ nullæ in me ſunt, tamen omnes certè meis rectè defers, & Ciceronis tanta maieſtas eſt, vt nec reprehendi quidem ſine honoris præfatione debeat. Sed quid eſt tandem, in quo non optimè Cicero? Quoniam oratorem perfectum, perfecta doctrinarum omnium cognitione complet. Primùm nuſquam hoc dicit. Craſſus dicit, aut ibi Craſſus cum Cicero ſit, eſt etiam An-

tonius, qui Crassum oppugnat. Nullũ igitur peccatum Ciceronis ostenditur, qui nihil ipse affirmat, diligentia cernitur infinita, quòd varias doctissimorum hominũ conquisitas opiniones in hunc librum coniecerit. Quod libenter ad te ex hac causa allego, quoniam in eo perpetua defensio est vniuersæ Ciceronis philosophiæ. Sed ad hanc ipsam defensionem opus est alia defensione. Nec enim probo, inquis, incertã hanc, & perplexam academiam, mentium nostrarum perturbatricem. Scio ista solere iactari, sed illorum voces sunt, qui vel penitus se ferè alienæ sectæ dediderunt, & ita necessitate constricti tenentur, aut ij sanè sunt, qui nullam sectam ex omnibus benè, planeq; perspexerunt. Hæc ego mihi non postularem vt crederes, nisi cur ita esset afferrem, si paulò essem firmior. Nunc autẽ ægro vacationem da tantisper, donec reuixero, aut in Ciceronem ipsum intra, & inspice, quod multò melius est, modò euigiles,

giles, & suis eum ponderibus appēdas. Sed vehemens es, & pugnare vis, nisi corporis rationem haberes, primùm tui, deindè etiã mei. Facis sapienter, quòd tibi parcis, humaniter, quòd mihi, pręsertim quum laborem, vt tu confiteris, grauius, & periculosius. Nec solum corpore non cohæreo, sed ne animo quidem consisto, quem tu quidē florere dicis, & vigere, sed ego contrahi sentio, & cōcidere. Quod nisi ita esset, hęc ipsa neruosius, deindè etiam tanta vbertate, vt copiam, non Atticam illam quidem, quam requiris, sed Asiaticam, quantũ quidem ego præstare possum, facilè agnosceres. Nunc satis erit ad singulas epistolæ tuę partes separatim respondere, quod non solum mihi necessarium fuit propter morbum, sed etiam, vt reor, tibi ad vtilitatem idem erit commodissimum. Lux enim doctrinæ, & ingenij in disputando, in scribendo, deniq́ue in omnibus doctorum congressibus est, vt aptè, & ordine ad illa ve-

niamus, quæ ab alijs in quocunque genere sermonis posita sunt. Huius facultatis non viam ostēdi (nec enim tempus aut valetudo mea fert) sed quędam vestigia meis in literis adumbraui, de quibus vt melius existimes, tuas ad te literas remitto. Facilius enim comparatio sententiarum rem iudicabit. Sed hoc omninò prouisum sit, vt postq̃ literas consyderaueris, statim eas rursus cures ad me proficisci. Tuum enim hoc exemplum, quasi tuæ voluntatis obsidem, diligenter reseruabo. Cum enim post vnum, aut alterum annum deus quidem aulicus eris, & ego miser homulus eo fortassè adrepam, tum si per magnum fortunę tuæ strepitum perrumpere non potero, aut sũmouebor, has pro me literas supplicare iubebo. Rides, & me iocari putas. Sed ego si seriò excludar, seriò ita faciam. Quod breuî mecum fore polliceris, agnosco bonitatem tuam, & quidem iam agnoui, quoniam me superiore nocte visitabas, & si meæ con-

cōditionis humilitas pateretur, eandē sæpè optarem recognoſcere. Nunc præſcribam nihil, ne petā quidem, ne nimis ambitioſus eſſe videar. Hoc profitebor breuiter, te, quoties ad me ventitabis, non ſolum honori eſſe ſummo, verum etiam ſingulari voluptati mihi fore. Terminas exemplum in ſalute, quæ licet magnam, & multiplicem delectationem allatura eſſet, ſi poſt tempeſtatū terrores, & ægritudinis fulmina rurſus affulgeret: tamen vtinam ſanitatē meam nunquam recuperarem, niſi ad hæc duo, eam præcipuè dari velim, primùm vt reip. & regio officio, in quo ſum, inſeruiā, deindè, vt primùm matri diuiniſsimæ, tum tibi etiam, & fratri Carolo me penitus dedam. Obruor enim matris inprimis, tum etiā tuis, & familię veſtrę beneficijs, quàm, ſed nihil dicam amplius. Si recollegero me, tum videbo. Concluſa igitur tandem exempla. Tres ſunt res, quarum non temporariam, ſed æternam mihi veniam peto.

Nam ſemper peccaturo perpetua venia opus eſt. Vnum eſt, vt in his literis, dominationis, & celſitudinis, & cœtera tuæ dignitatis vocabula non expectes. Cum opus erit prolixè, & largè dabo. Nunc curſū noſtrū impedirent, et tua tam generoſa natura eſt, talem vt iacturam propter doctrinæ lucrum facilè toleraturus ſis. Alterū eſt, quòd optima, & innocētiſsima hæc exempla aliquādo clam, aliquando ſum apertè calūniatus, quod & nunc faciens, & poſthac etiam facturus eodem modo, ſi tu feres, quoniam ad vtilitatem, et ad eruditionem tuam refero, & te in eo mihi æquiſsimū fore non dubito. Extremum eſt, vt ſi neſcio quis ille Haddonus à te expectatus, & ab alijs prædicatus, in meis hiſce literis non apparebit, morbo illum abſumptum putes, & hoc eius relictum qualecunque ſimulachrū non aſpernere. Finis, ſi vnum adiūxero, te ſi ad me ſcripturus ſis, quod ego inprimis optarem, niſi tibi graue ſit, in omnes partes me-

as literas verses, & ventiles, satis sumas tẽporis, & singula perrimeris. Nam rectissimè Cicero cogitationẽ subitam, & fortuitam damnat, meditatam, & accuratam vehementissimè laudat. Scio quid dices, nimirum ignauiæ me latebram quærere. Sed non est ita profectò, nec secus loquor quàm sentio, nec quicquam est in hac re aliud, nisi quod ad officium meum, & etiam voluntatem tuam pertinere credo, nihil vt eorum prætermittam, quibus tu plus scientiæ collecturus sis. Itaque faciam quod potero. Vale.

EPISTOLA AD ILLVSTRISSIMVM ducem Northumb. academiæ nomine scripta.

MAgnam præstantiam tribuit tibi deus, tum animi, tũ corporis, illustriss. Northumbriensis, & eam in excelso dignitatis loco collocauit, vt omnibus reipub. partibus lucere possit. Nam & terra, & mari, domi, & foris, in bello, & in pace, tua sic industria viguit: vt & maritimi labores

cum

cum terrestribus, & domesticę laudes cum externis, & bellorum tempestates cum pacis temporibus contendant, nec planè sciri possit, vtrum plus te foris hostes metuant, an domi ciues amẽt. Vtrum melior in acie sis imperator, an senator in prætorio. Quapropter tua cum multiplex virtus tam latè manet, & per omnem rempub. permeans, integros alijs fontes patefaciat: nobis, vti speramus, riuulos suæ benignitatis aperiet, nostram paruam hanc, sed non parui momenti literarum rempub. consilio reget, sapientia moderabitur, authoritate defendet. Qua tuæ clementiæ fiducia, summum tibi nostrum magistratum, summo consensu nostro mandauimus. Qua in re voluntates nostras percenseri voluimus, non munus appendi. Nec enim tibi licet ex nobis crescere, nos à te quidẽ amplificari possumus. Quod si nobis negas, da sanè literis, quibus si non annuis petentibus, at concede supplicibus. Tuę summę sunt opes, nostrę difficul-

ficultates maximæ, non opes dicimus ex arca, ſed authoritatem ex actis. Quæ cum immortalitate digna ſint, noſtris artibus etiam erunt, in quibus theatrum ineſt clariſſimum, & ad poſteritatē vſq; reſonans. Ordine venimus, procurata iam abs te reliqua repub. Diſciplinarũ igitur hanc noſtram, tempore poſtremam, dignitate primam ad te venientem, & tibi ſe offerentem cauſam, ſi prius ignorabas nunc cognoſce, ſi prius intellexeras, recognoſce. Doctrinarum ad duces cura pertinet, rerum nempè præſtantiſſimarum ad nobiles perſonas. Itaque noſtras literas, clientes tuas ad te intromitte: quarum ſi dignitatem ſuſtentaueris, illarum monumentis viciſſim decorabere, magnaque dans illis adiumenta pręſentium temporum, maiora rurſum ab ijſdem accipies futurorum, & æternitatis. Studiorum noſtrorum laxa linguas, vt illis tua fama feratur, quæ cæterorum illuſtrata laudibus ornamentorum, hoc ſolum deſyderat

derat magnificum ex artibus nostris testimonium. Extrue tandem, & ædifica præclarissimè inchoatã maximis rebus gestis tui nominis celebritatem, quæ, cum ex castris in senatum profecta sit, ex senatu sanè in academiam prospectet, rerumque ciuilium prouisione collectam gloriam ad literarum lucẽ accendendã exhibeat, quę tota diffusa regno communes ab omnibus tenebras auferens, ac à te elata clarissimum tibi splendorem, et tuæ familiæ afferet. Deus omni rerum prosperitate tuum honorẽ cumulet. Vale.

G. HADDONVS IOANNI
Checo, equiti aurato. S. D. P.

QVo die vester ad nos Acrus accessit, vir eo loco dignissimus, in quo iam est, eodem ipso die, atque adeò eadem propè hora, tuus Chrysostomus de fato sex orationibus pertractans mecum fuit, ornatissime Chece. Maximum iste liber mihi desyderium attulit tuæ vocis, tuæ consuetudinis,

tui ingenij, quæ sanè omnia mirabiliter hoc ſcriptum, tanquam effigies quædam animi tui, repræſentauit, vt non tam mihi vox in hac diſputatione Chryſoſtomi, quàm tua ſonare videatur. Ita confertum totum hoc volumen eſt præclariſſimis de deo ſententijs, tam elegans eſt earum collocatio, tam apta rebus verba, tam venuſtæ tranſlationes, tam familiares, et iucũdę narrationes, tantus argumentorum contextus, tanta totius orationis cum cauſa conſenſio. Quæ nimirum omnes proprię virtutes ſunt, partim naturæ, partim ſtudij, partim ſcientiæ tuæ. Sed te laudari nihil attinet, à me præſertim, qui nec id ita facere poſſum, quemadmodum fieri debet, tuiſque ſic laudibus afficior, vt maiorem mihi dolorem ex eo, quòd te tali viro carendum eſt, afferant, quàm voluptatem, quòd te talem eſſe cognouerim. Id enim præſtantiſſimũ conari oſtendere, quo cum olim plurimum vſus ſis, iam egeas eodem, nec habere poſſis,

videtur hominis esse, suam vel ignorantis, vel amplificantis miseriam, quorum alterum hebes, alterum amentia plenum est. In quo mea, quàm cęterorũ, conditio durior est. Quoniam alij quantũ in literis excelleres, & ingenio videbant. Ego non ista solum, sed etiam interiora perspexeram diffusa per omnes vitę tuæ partes ornamẽta. Quæ tum accuratè contemplans, quãta in te essent, magis eadem nunc requiro, minus ineptias, leuitates, & inscitias multorũ fero nostrorum hominum. Sed quoniam hoc aut fœlicitati tuę debebatur, vt ibi potissimum esses, vbi latissimè manare tua diligentia in remp. posset, aut infœlicitati nostræ, tuum vt diuinũ os amitteremus, quasi tubam clarissimam omnis disciplinæ, minuenda nobis cura est, ne si grauissimè cõturbemur, aut remp. non satis, aut nos ipsi nimium videamur amare. Optimè tuus Plato sensit, naturales quasdam rerump. conuersiones esse, nos vt commutatus nostrarum

ſtrarum rerum ſtatus admodum commo-
uere non debeat. Et quanquam corpus tu-
um abreptum nobis eſt, tamen humanitas,
ingenium, ſtudium, eloquentia, literæ, no-
ſtris interſunt cõmunibus omnium ſcho-
lis, & priuatis ſingulorum intimis cogita-
tionibus. Studium, & humanitatem tuam
Billus imitatur, Carrus verborum eloquẽ-
tiam, & tantum in ijs profecerunt, quantũ
tu ſanè probare velles, ſi Demoſthenis al-
terum cauſam tractantem, alterũ ſuas au-
dires. Sed hæc, & alia, quanq̃ ſunt in illis
maxima, tamen omnia quia non adſunt,
& te magis admiror, qui meas aures imple-
re ſolitus es, & his ipſis quanquam valdè
lætor, tamen in illis acquieſcere non poſſũ.
Itaque cum in Carrum ante aliquot dies
incidiſſem, fui aſperior, non quòd illum nõ
amem, iuuenem me herculè optimum, &
eloquentiſſimum: ſed quòd ea lautitia ſim,
nihil vt feram, in quo deeſſe aliquid videa-
tur. In quo facio ſanè impudẽtiſſimè. Nam

alijs condono nihil, ipſe peccans interim omnia. Sed de me nihil. Pergam ad alios. Chriſtopherſonus dialogum in ſcenā effudit, vt ebrij crapulas ſolent in menſam. Verbis textus fuit valdè bonis, & pleriſque ſententijs. Erant enim nō ex Cicerone, ſed quod propius, & melius eſt, ipſius Ciceronis. Facetias de ſuo aſperſit, non illas quidē Ciceronis, ſed Epicuri potius. Conuitiorū acerui, ſatyrā vt agnoſceres, aut veterē comœdiam, expertem tamen omnis ſalis, & aculeorum. Quid quęris? Non potuit melius, ſiquidem optimum eſt ipſum ſibi conſtare, & eſſe quenquam ſui ſimillimū. Procancellarium (nam rei nouæ nouum imponendum eſt nomen) aſſumpſimus D. Parkerum, cuius tu grauitatē, conſilium, & literas noſti, nos etiam experimur. Catonem, aut Quintum Fabium in illo renatum putes. D. Smithus conſerit inter nos literas omnis generis, ius ciuile docet, ad philoſophiæ cauſas accedit, medicos etiam

tentat

tentat nouos nostros, exemplo diui Pauli, fit omnibus omnia, fructū vt afferat omnibus. Recordus quidā exortus est apud nos medicus, vir humanitate singulari, scientia multorū opinione summa, mea verò mediocri. Is, vt olim Aristoteles, turpe esse putat tacere, et alios pati dicere. Tu græca nosti. Quapropter comitia instituit his ipsis tēporibus magna vulgi expectatione, mea penè nulla. Nam & ipse, & reliqui, quorū præcipuę partes sunt, sentiunt forsan optimè, sed eloqui nō possunt. Pikeringus autem noster, qui ad illos oppositus est, non ignoras in quo genere sit. Sed quid hæc ego ad te, quasi ea tibi curæ sint, aut esse debeāt, posito maiores ad res gerendas, et cogitandas. Equidem ita est, & tamen vel singulari tua fretus humanitate, vel immensa quadā cupiditate tecum colloquendi, vix vllū ad te scribendi finem facere possem, nisi me tempus deficeret, aliaque difficultas impediret. Hoc tamen addendum est, iucundissi-

alijs condono nihil, ipſe peccans interim omnia. Sed de me nihil. Pergam ad alios. Chriſtopherſonus dialogum in ſcenã effudit, vt ebrij crapulas ſolent in menſam. Verbis textus fuit valdè bonis, & pleriſque ſententijs. Erant enim nõ ex Cicerone, ſed quod propius, & melius eſt, ipſius Ciceronis. Facetias de ſuo aſperſit, non illas quidẽ Ciceronis, ſed Epicuri potius. Conuitiorũ acerui, ſatyrã vt agnoſceres, aut veterẽ comœdiam, expertem tamen omnis ſalis, & aculeorum. Quid quęris? Non potuit melius, ſiquidem optimum eſt ipſum ſibi conſtare, & eſſe quenquam ſui ſimillimũ. Procancellarium (nam rei nouæ nouum imponendum eſt nomen) aſſumpſimus D. Parkerum, cuius tu grauitatẽ, conſilium, & literas noſti, nos etiam experimur. Catonem, aut Quintum Fabium in illo renatum putes. D. Smithus conſerit inter nos literas omnis generis, ius ciuile docet, ad philoſophiæ cauſas accedit, medicos etiam tentat

tentat nouos noſtros, exemplo diui Pauli, fit omnibus omnia, fructũ vt afferat omnibus. Recordus quidã exortus eſt apud nos medicus, vir humanitate ſingulari, ſcientia multorũ opinione ſumma, mea verò mediocri. Is, vt olim Ariſtoteles, turpe eſſe putat tacere, et alios pati dicere. Tu græca noſti. Quapropter comitia inſtituit his ipſis tẽporibus magna vulgi expectatione, mea penè nulla. Nam & ipſe, & reliqui, quorũ præcipuę partes ſunt, ſentiunt forſan optimê, ſed eloqui nõ poſſunt. Pikeringus autem noſter, qui ad illos oppoſitus eſt, non ignoras in quo genere ſit. Sed quid hæc ego ad te, quaſi ea tibi curæ ſint, aut eſſe debeãt, poſito maiores ad res gerendas, et cogitandas. Equidem ita eſt, & tamen vel ſingulari tua fretus humanitate, vel immenſa quadã cupiditate tecum colloquendi, vix vllũ ad te ſcribendi finem facere poſſem, niſi me tempus deficeret, aliaque difficultas impediret. Hoc tamen addendum eſt, iucundiſſi-

cundiſſimũ id mihi fuiſſe, quòd abs te laudatus fuerim, ſed latinè malle. Nunc enim interpreti credendũ mihi de meipſo fuit. Et græcè quenquam laudare, qui græcè neſciat, quale tandem eſſe putas? Ego me probari reor, tu fortaſſè reprehendis. Seriò me puduit inſcitiæ meæ, daboq́ue operam vt meas ipſe poſthac laudes intelligã. Frater meus, quomodo poteſt, te ſalutat. Plus faceret, ſi plus auderet. Meam impudentiã vides, quę nihil pudet. De D. Coxo memineris, quid ante ſcripſerim. Is vnus ex omnibus eſt, quẽ mihi fauere peruelim, & tamen idem ſolus eſt ex omnibus, quem ad id meis literis inuitare nequeam. Neſcio magis illum amemne, an reuerear. Vtrũq; certè eſt. Cliuum quęſo veſtrum meo nomine ſaluta, & illi mea fide omnia de fratre ſuo optima promitte, quantum quidem præſentia video. Nam ſoli futura dij ſciũt. Tongum etiam ſaluta. Ignoſce meis literis, fuſis feſtinantiſſimè, & me dilige. Vale. Ex

regio

regio collegio, pridie festum diui Matthię. Epitaphium attexui libro tuo subito quodam animi calore fusum, quod hîc subijciendum esse putaui. Rursus vale.

Diuus Iöannes Chrysostomus aurea græca
Fundere quod posset, nomen suscepit ab auro.
Noster Iöannes sit nomine Checus eodem,
Aurea qui græcis verbis dat verba latina.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI
Georgio Deio Cicestrensi episcopo, et collegij regij Cantabrigiæ præposito, vicepræpositus, & seniores regij collegij,
S. D. P.

NEc expectata nobis, nec vsitata tibi literarū tuarū seueritas, inscriptarum vicepræposito, sed scriptarum (vt videtur) ad nos omnes, animos nostros valdè fregit. Itaque communiter respondendū esse putauimus communi, vel expostulationi, vel (vt mollissimè loquamur) exhortationi tuæ. Complectemur autē paucis, vt dominatio tua planè intelligat, nihil magis nos

inuitos facere, quàm à te cum dissentire cogimur. Quanquam à te non dissentimus, ne tibi quidem respondemus, sed illorum criminationibus, qui tuam mentem per se placatam, & tranquillam falsis rumoribus, quasi quodam turbine, contra nostras salutares causas, & cogitationes excitauerunt. Primùm Missas dominatio tua dimissas arguit, & nos confitemur. In eo recessum esse dicis ab institutis nostræ domus, & nos largimur. Sed easdem Missas solitarias, vt erant, & soliuagas recedere didicimus à pietate nostræ religionis, nec tuam dominationem de eo dubitare credimus. Equidem institutiones regiæ non dubitant, quarum præscripto de Missis non videtur nobis permissum, nisi quibus intexta sit corporis & sanguinis Christi communicatio, quæ cum in vna possit vberrimè dispertiri, multitudinem ociosam, nec (vt vsurpabatur) satis piam summouimus. Neque nobis ipsi fuimus authores huius rei, sed

voces ad nos ex aula permanauerunt tam plenæ fidei, & authoritatis, vt tua dominatio si pręsẽs adfuisset, eas repudiare nec potuisset, nec voluisset. Quarè nullum in hoc negotio peccatũ nostrũ ostẽditur, qui maturè potius, quàm serò, cum laude, potius q̃ cũ ignominia, cum primis, potius quàm cũ postremis, regiorum edictorũ sententiã, & sermone, & exemplo sancitã, quãtùm licet, imitamur: manifesta vanitas illorum coarguitur, qui temerè nos, & præter leges hæc tentauisse dominationi tuæ renunciauerunt. Sed nouum est, & legis de eo verba non extant. Equidem nouitatis inuidiam rei salubritas tollit. Neq; nos tam altè stertimus, vt cæteros ferè possit omnes, nos nõ possit excitare veritatis vox, nec tam superbi sumus, vt tales doctores recusemus, quales in hac causa dati sunt, nec tam nullis iudicijs sumus, vt literas ibi legis, & apices expectemus, vbi legis mens qualis sit appareat, ac legislatorum voluntas cuiusmodi

sit non ignoretur. Sed interim authoritas institutorum nostræ domus atteritur, ac etiam fides in periculum nostra venit. Equidem in aures tuę dominationis ita videmus insusurratum esse, sed æquitas tua, si præses rem cognosceret, facilimè nos liberaret. Nec enim quascunque minutias edictorũ nostrorum, si communis noster consensus aut immutauerit, aut inflexerit, gratuitũ in eo periurium versatur, quomodo tua dominatio nimis truci vocabulo posuit. Sed vel publicus quidam error est, si inscitia nostra sit, vel etiam communis quædam laus est, si correctio sit in eo cuiuscunque peruersitatis. Itaque cùm pugnare videremus multis modis hanc Missarum solitariarum frequentationem cum rescriptorum regiorum formulis, incidimus hanc in angulos correpentem, & seuocatam ad se pietatem, & tenebras obsolescentium errore vetustatis decretorum nostrorum, recentium luce regiorum oraculorum perfudimus.

mus. In quo non periuri, sed pij, non dissipatores, sed custodes nostrarum constitutionum fuisse videmur. Nec tibi sanè ipsi aliter videremur, si præsens ista vidisses, nō absens audisses. Obijcis Missas &c. De Missis respondemus. Ad cętera tacendum est, quoniam nihil à te de illis positum est. Aliud nominas, non nostrum grande peccatum, sed grande mendacium illius, qui id ad te attulit, diputari à nobis impiè, & turbulentê, cum grauissima tenerarum conscientiarum vulneratione, & singulari nostræ domus infamia. Vehemens, & horribilis oratio, sed quam academiæ libertas respuit, modestia nostrorum hominum refutat. Nam vt omnia cuiusque generis in disputationibus nostris liberè possint inquiri, regium in hoc diploma nobis indultum pro nobis causam dicit, quod hac perscriptione ad academiam nostram est, vt veritatis quęrendæ causa omnes omniū controuersiarū angulos excutiamus, modò per-

 tinacia

tinacia nostris sermonibus absit, adsit lenitas. Nos verò nec anxietatis causam infirmis conscientijs, nec infamiæ nostro collegio dedimus, sed nostram ad veritatis iter allaborantem assiduitatem, si vel indoctorū hominum impudentia, vel impudentium hominum inscitia falsis maledictis ad huiusmodi prauitatem detorserit: dominationis tuæ charitatē, doctrinā, & mansuetudinē obtestamur, ne cogamur aliena vitia præstare, ne plus credas alienis, quàm tuis, aut paucis, quàm omnibus. Quòd dominatio tua requirit, vt reponantur ea quæ loco mota sunt: equidem adeò dominationē tuam amamus, & reueremur, vt omninò tua in potestate futuri simus. Sed rursus tāta sapientia dominationem tuam esse cognoscimus, tanta doctrina, tanta pietate, vt ista si propius aspiceres, & oculis tuis, nō alienis: certò sciamus voluntatem te tuam esse commutaturum. Quapropter agnoscimus (vt par est) in hac causa te iudicem,

ſed appellamus. Quemadmodum inquis: à te abſente, ad præſentem, ab ignaro rerum noſtrarum, vel non rectè in illis inſtituto, ad ſcientem, & planè videntem qua via in his omnibus proceſſum ſit. Interim vindicias ſecundum libertatē petimus, poſt, quæ præſens ſentias, ad ea ſic nos accommodabimus, vt nec reuerentiæ, nec officij partes in nobis vllas deſyderaturus ſis. Vale, & dominationem tuā diutiſſimè incolumem nobis ſeruet Ieſus Chriſtus. Cantabrigiæ 28. Maij, è collegio regio.

G. HADDONVS ORNATISSIMO VIRO D. Coxo regio eleemoſynario. S. D. P.

QVo tempore Smithus noſter tecū fuit, (ornatiſs. præceptor) reuerſus ad nos, mihi narrauit, cum alia multa, tum illud inprimis, quomodo de me ſubqueſtus ſis, quòd ad te literas illi non dediſſem. In quo licet valdè commouebar, tamen non tam mihi moleſtum fuit, meum à te officium deſyderari, quàm iucundum fuit, tam ve-

hementer

hementer illud requiri. Nam quibus rebus facilè caremus, illis cum adsunt non multũ delectamur, & quæ cum absunt, dolorem afferunt, illorũ nos præsentia iuuare solet. Itaque maximum iam, & singularem, ex facultateq; scribendi fructum cepi, cum te meas literas intelligam velle videre, quod aut iudicio facis, quo nihil ad existimationẽ meã aptius esse potest, aut amore, quo nihil est optabilius, aut vtroq;, quod tale est, vt id optare vix ausim. Quicquid autem erat, mos certè gerendus voluntati fuerat tuæ, nec in eo tuæ debebam expectationi deesse, in quo plurimum ipsa illa expectatio beneuolentiæ cõtinebat. Nec ego tibi profectò tum deeram, neç officio meo, sed fides nũcio defuit, qui cum Oxonij te dixisset abesse, & diu abfore, causa scribendi ad absentem nulla esse videbatur, non scribendi non sanè nulla ratio fuit. Præsertim cum multa tempora viderem esse tibi satisfaciendi, nec si non satisfactũ esset, tam ægrè

crederem te laturum fore. Sed nimirum plus meum tibi debet ingenium, quàm putaram, & ego tuæ plus humanitati debeo, quàm cogitari potest. Itaque nullum tempus prætermittam posthac ad te scribendi. Impendeant vndiq; negotia, cogitationes, studia, occupationes omnis generis, difficultates perrumpã omnes, & hoc orationis exiguo munere defungar, exiguo sanè per se, sed ita demùm ingens esse potest, si studij tui magnitudine, ita, quemadmodũ videtur, crescat. Exeat, si qua fuit, exeat ex ore tibi, et ex animo superioris negligentia mei silentij, temporis illius obliuiscere taciturnitatem, vniuersam hanc culpam multiplicato, & subindè repetito studio dandarum ad te literarum emetiar. Quid enim per hæc ipsa studia, de quibus loquor, possum agere diuinius, quàm vt tecum in sermonẽ quàm sæpissimè veniam, à quo, si queam, abesse nunquam velim? Sed cupiditatem, & conatum quendam meũ, meis ad te ver-

ſibus planè videre potuiſti, quibus ſi cogitatis intereſſe potuiſſes, & ſcriptis, potius miſerabilis illa tibi ſcriptio mea viſa fuiſſet, quàm ingratum ſilentium. Nec tu magis animum meum videre potuiſti, quàm ego tuum perſpexi tuo te digniſſimo carmine, quo me remuneratus es. Ignoſces nimiæ cuidam, vel lętitiæ meę, vel leuitati, vel gloriæ, vel nimijs aliorum ſtudijs. Sed vt res geſta eſt, dicam. Cum Tius domum à te veniſſet, eodemq; tempore aliquot honeſti, & docti viri, officij cauſa (vt fit) mecum eſſent, viſendi me, cõſolandiq; gratia: Tius apertus, minimeq; curioſus vir, meas literas exprompſit, & indidem aliquid à te dixit ad me ineſſe. Cum ſuam quiſque cõiecturam afferret, cupidiſſimè reſigno literas. Inſpicio, percurro verſus iterum, atque iterum, idque eo vultu feci, minimè vt obſcurum eſſet, quemadmodum illis affectus eſſem. Concurritur ab omnibus, poſtulatur vt legã. Lego minimè grauatè, primùm

mea, dein tua. Tollunt manus, statim clamores, partim admirantium acumen tuorum carminũ, partim elegantiam, partim venustatem relatorum ad verba verborũ, partim humanitatem. Ego vocibus assentiebar omnium, immoderata quadam elatus lętitia, quòd tuam viderem tantam laudem summa cum honestate mea coniunctam esse. Extortum est mihi tuum exemplar, transfusum in chartas infinitas, passim tuum ingenium prędicatur, passim tuus filius legor, consignatus iam tuus amor erga me, testimonio luculẽtissimo tuorum versuum, sic in vulgus exijt: vt me non diligere posthac non possis, sine aliqua tuæ constãtiæ iactura. Sed cur, inquis, ostendisti? Imò non ostendi solum, sed etiam ostentaui. Si cur id fecerim rogas, equidem, vt ante dixi, nimia vel lętitia, vel gloria, vel inscitia, vel quauis alia re. Quod enim tantam vim habebat, vt magna meæ ægritudinis ex eo leuatio fieret (quod profectò factum est) id

ego non prędicarem: de eo non gloriarer: id ipse prę me nō ferrem: Ego verò, & auidissimè quidem, & adhuc hac ipsa contra molestias vtor præstātissima medicina. Ignosco magna iam ex parte febri meæ, quæ nostrū licet congressum impediuerit, tamē carmine nos tali coniunxit, quale diuturnā memoriam, & plenā charitatis habiturum est. Ingens acerbitas cruciatus ex morbo fuit, sed propterea tolerabilis fuit, quoniam per omnium corpora perreptabat. Quod remedium, etsi Cicero proprium esse vult inuidentiæ, malis vt alienis lætemur, tamen hoc natura bonis etiam affert, non quidem vt alios calamitosos esse velint, sed vt illos mærores minus sentiant, quibuscum alios conflictari vident. Morbus igitur hanc solationē habebat, quòd cōmunis erat, versiculi singularē, & eximiam hanc afferebāt lætitiā, quòd eos ita ad me scripsisses, quomodo scribere solebas ad neminem. Academia nostra febre propemodum vniuersa

conflagrauit, aliquot etiam flammis ardorum exusti sunt. Quos non nomino, quoniam tibi ignoti erant, prçter fortè Wygamũ, quem tuorum temporum fuisse reor, aut paulò recentiorem. Regiã is theologiã apud nos edisserebat. Cur enim regia non appelletur, pro qua rex mercedem pendit? Vtinam aliquis hoc loco dignus illi succedat in orationem. Certè nostra tempora contexta perpetuis morbis, & funeribus, voces desyderant plenas deo. Sed vt de me dicam, tam vehementer exæstuaui, mors vt mihi doloris morsibus optabilis redderetur. Nunc ex igne sum eiectus, sed fumo tamen, & cineribus obtegor, vix vt vllã ad perfectã salutẽ viã prospicere queã. Quod multo ferrem æquius, nisi magis matrem impensarum magnitudinis tæderet, quàm me tædet ægritudinis morborum. Perferuntur enim indies ad me, cum matris ipsius literis, tum aliorũ vocibus huiusmodi querelæ illius. Ecquando tempus erit, cum

tibi ipſe ſumptus ſuppeditabis? Ecquando vir hoc onere me leuabis, quo cæteri matrẽ adoleſcẽtes leuant? Amici prędicãtur, ingenium celebratur, literę magnum tibi nomẽ attulerunt, ego tamen ſemper exhaurior. Nimirum funduntur inanes ſoni, res non ſubeſt, fruſtrà tuũ tempus, fruſtrà meæ opes abierũt. Has muliebres querelas minimè fortaſſè iuſtas, mihi tamen grauiſſimas, quoniam matris ſunt, tu (mi præceptor) ſeda, vel aliquo mihi procurato beneficio certę poſſeſſionis, vel eo ſi dignus non videor, at ſanè oratione interim, ſi matrẽ nactus fueris. Vix vnus eſt è multis, qui facta verbis exæquare velit, tu ſolus ex omnibus es, cuius vincit humanitas orationem, non tuã modò propriam, ſed omnem ſanè omniũ. Itaque taciturna fretus hac tua munificentia, ſpe me ſuſtentabo ſequuturi ex te aliquando fructus, quẽ mihi cum tribues, & matris ſollicitudini tribues, & tuę glorię, et, ſi non literis, at certè ſtudio literarum meo,

nec

nec minimo, nec infœlicissimo. Vale. Cãtabrigiæ, ex regio collegio.

EIDEM.

NImium mea cupiditas festinauit (excellentissime prȩceptor) immenso quodam elata te videndi studio. Quare factum est, vt in medium peruenirem concursum tuarum occupationum. Quod etsi tu, propter infinitam occultabas, cum prudẽtiam, tum humanitatem tuam: tamen id mihi multis ex rebus facillimum erat cognoscere. Quanquam igitur grauem me tibi fore dolebam, tamen beneuolentia me tua valdè recreauit, quæ maior in tuis fuit grauissimis negotijs, quàm aliorum summo in otio solet existere. Causa mei fuit itineris, primùm vt te viderem, quem tam libenter video, tempus vt omne longissimum esse credam, in quo à te absum, deindè tuam vt illam suauissimam, & eruditissimam vocẽ iamdiu peregrinatam ab auribus meis cõprehen-

prehenderem. Hoc enim tempus esse sciebam, in quo principes audirētur nostræ religionis. Sed cum nec interrogãdo potuissē exquirere, nec ex te scire liceret, cum tamē id (quantum meus pudor ferebat) vehementer agerem, quando tuæ partes certò possint expectari: vel hominum ignoratione, vel nimio pudore meo, vel taciturnitate tua, factum est, vt maximum mei laboris fructum amitterem. Nec enim parua fueram incensus cupiditate te audiendi, quem & puer, et adolescens ipse per me, & nunc vir ex aliorum ore admiror. Neque enim tua meas aures oratio, quanquã præsentes preteruecta est, omninò potuit effugere. Emanarunt enim ad nos, et adhuc per academiam disseminantur oracula sacræ scripturæ, nõ minus libero prompta, quàm pio pectore tuo. Qua in re singularis fœlicitas diuinæ cuiusdam tuæ moderationis est, omnium se iudicio probantis. Non enim hi solum, qui recto pede ad euangeliũ

ince-

incedunt (ſcripturam enim ſacrã ſuis verbis citandam eſſe reor) te maximi faciunt, ſed etiam illa ſecta, quæ contrarijs inſtitutis vtitur, tuæ doctrinæ ſatis æqua eſt. Itaque mirificus eſt omnium conſenſus de tua pietate, & ſcientia, nec vlli ferè ſermones noſtrorum hominum, tuæ ſunt expertes poſtremæ concionis, quæ licet talis perferatur ſermone communi omnium, qualem eam ex te eſſe conuenit, tamen doleo me, qui ſũ alumnus diſciplinæ tuæ, præſentẽ non fuiſſe teſtem tuæ ſapientiæ. Non iſta do tuis auribus, mi præceptor. Quî enim poſſim, cum mea ſit aperta natura, tua ſit ſingularis ſeueritas? Sed tua cum incredibilis beneuolentia longas requirat meas, & frequentes literas, cur non veriſſimarum colloquia noſtra ſint, & grauiſſimarum rerum? aut, quod tibi facere glorioſiſſimum eſt, cur non idem mihi ſit iucundum dicere? Mihi quidem cum ex hoc ipſo, tum ex reliqua præclariſſimè inſtituta vita tua non

ſolum voluptas eſt ad recordãdum. ſed exemplum etiam ad imitandum,& tanquam formula proponitur ad viuendum,ad quã, ſi poſſem accedere, nihil requiri poſſit amplius. Sed de te ſatis,præſertim ad te. Nunc de me dicam. Poſtquam à te digreſſus ſum, tædio iam affectus, & vrbis,& aulæ,in quibus nihil penè videram eorum, quæ volebam, præter te, propemodum inuitus ad Hertfordiam diuerti,literas tuas ad principem D. Checo dedi, contra ſentẽtiam fortaſſè tuam, certè contra voluntatẽ meam, ſed aliter me facere pudor non ſinit meus. Checus autẽ,vt ſemper ipſe ſui ſimilis eſſet, principi literas oſtendit, & in certo me loco poſuit,in quo facultas eſſet cum videndi, tum affandi principem, cui de te tribus verbis percontanti,ſuauiter tamen,& perbeneuolè,cum pauciſſimis ſatiſfeciſſẽ, perfecta legatione,ſtatim domum cogitabam. Pridiè veneram, & ſummo rogatu Franciſci cuiuſdam,indolem ducis Suffolciæ tẽtaui,

taui, meherculè sciti pueri inprimis, & dignissimi te præceptore. Quod supererat temporis illius diei, cum Aero & Tongo consumpsi, viris humanissimis, & vt videbantur, peramicis meis. Cum Checo multum non fui, quoniam vehementer occupabatur, vt apparebat. Postridiè cum princeps prætergressus fuisset, vt dicere cæperam, Checus ad me rediens, mecum agere cępit, vt illo die secum essem. Ego cum viderem illum plenissimum esse negotijs, et nihil ibi prætereà esse, quod magnoperè agerem, postpositis omnibus Cantabrigiam deuolaui, latebram tum animi, tum fortunarum mearum angustijs conuenientissimam. Et huiusmodi meum à te domum iter fuit, te, principe, & Checo visis & salutatis fœlix, cęteris in rebus non nimis opportunum. Sed quid ego tecum ista? quasi tua quicquam intersit, ego quid in via cōmodi senserim, aut incommodi. Primùm quod Cicero dicit in philosophię studio fi-

eri solere, qui multum in eo viderit, vt reliqua consectetur: idem in beneuolētia mihi positum, & amore videtur, vt cuius maximis in rebus curam suscipimus, eius etiam ignorare nolimus reliquā qualēcunq; fortunam. Deindè Crassus in Ciceronis oratore mihi sapienter affirmare videtur, illū non debere liberum hominem esse putari, qui non interdum, omni solutus opere, nihil agat. Itaque solitos esse Scæuolam, & Lælium, grauissimos viros, à reip. muneribus interquiescentes, mirabiliter repuerascere, & omni se iucunditati dare. Quo propemodum exemplo te præsens animaduerti, cum animum relaxare velles, nō quidem nihil agere, sed aut velitationē illā Croci cum Lelando perridiculā, vel reliquas Oxonienses nugas (ita enim profectò sunt) euoluere, nouū vt afferre possis, & ardens, ac multiplicatum studium ad maximarum causarum reipub. tractationem. Quapropter in vacatione grauissimorum

morum munerum quando tibi posthac otioso libet esse, non intempestiuè minutijs hisce nostris ad reficiendam mentem tuam abuti potes, minus profectò, tum ludicris, tum indoctis, quàm illa sunt, quæ tu nonnunquam animi causa ludens legis. Seriò, mi præceptor, ad te scribens, cum id copiosissimè facere velim, propter immensã voluptatem tecum colloquendi, nullarum rerum sententiã iuuenire possum, pondus habentem, dignum grauitate tuarum aurium. Gratiarum autem agendarum, aut exacuendi literis, & renouandi tui erga me studij ratio penitus sublata est, partim superiorum magnitudine tuorum meritorũ omnẽ vincentiũ meã orationẽ, partim futurorũ spe, non solũ sermone, sed etiã cogitatione mea pręstantiorũ. Ad hãc expectationẽ propriè meam, & ad cõmunem reip. & religionis nostræ commoditatem, deus tantũ tibi temporis det, quantũ exoptatissimũ tibi, reip. fructuosissimũ, dei deniq; ipsius

ſius voluntati videbitur aptiſſimum fore. Vale. Ex regio Cantabrigienſi collegio.

EIDEM.

VEllem quidem comitijs noſtris interfuiſſes, ornatiſs. præceptor, cum tua nonnihil, tum maximè noſtra cauſa. Nam hũc ipſum locum, & tempus vidiſſes, grauiſſimos teſtes excellentis et oris, & ingenij tui, & in illis ipſis academiæ noſtræ ſpatijs conſtitiſſes, in quibus tam clara ſunt impreſſa doctrinæ tuæ veſtigia, nulla vis vt vllius rei tanta poſſit eſſe, tui memoriam nominis vt ex mentibus hominum euellat. Præterea noſtram academiam, & illius inſtituta longo iam tempore intermiſſa recognouiſſes. Et quanquam duos audiuiſti principes tũ dicendi, tum intelligendi, Smithum, qui nobiſcum adhuc eſt, & Checum qui tecum viuit, qui profectò tales fuerũt, & ſũt, vt nullus cum illis comparari poſsit noſtrorum hominum, ne externorũ quidem

mea

mea sentẽtia, tamen Smithum rursus, tanquam Socratem audiuisses, aliorum loquacitatem interrogatiunculis irretientem, & maximas philosophię causas magna grauitate, summaq; scientia concludentem. Audisses præter illum nonnullos, quorum tu fortassis indolem laudare voluisses, & in illis ego tibi tuus discipulus occurrissem, non qualem tot annorum studio, tuis informatum optimis institutis esse oportebat, sed qualem omnes ferunt, aliqui etiam laudant, vt doctum virum, omnes confitentur discipulum te præceptore dignum aliquãdo posse fore. Ista nonnullam tibi voluptatem vniuersa fortassis attulissent, viro non solum excellente doctrina, quod omnes sciunt, sed aliorum etiam studio, quorum tibi literę perspectę sunt, quomodo ego cęteris vberius intellegere potui. Tua verò præsentia, si in hoc tempus incidisset, cum alijs periucundum id omnibus accidisset, tum meum in eo præcipuum, & sanè mirifi-

rificum gaudium fuiſſet. Nec enim debeo, nec poſſum ignorare, cum vniuerſam admirabili quodam amore noſtram academiam comprehendas, quantum tamen mihi ſepoſueris ſingularis, & infinitæ gratiæ, quam licet ipſam exæquare non poſſũ, tamen voluntatem tibi profectò emetiar, quod etiam quomodo potuiſſem, propius oſtendiſſem, ſi propius ad nos acceſſiſſes. Sed cum alia te maiora teneant, quæ nobis, & rebus noſtris omnibus anteferenda ſunt, non ſolum illis tibi non abeundum fuit, ſed ne contingenda quidem à nobis erant, nec à me certè fuiſſent, niſi Checus, cui negare non poſſum, has à me literas ad te poſtulauiſſet. Quod eò non dico, quòd quicquam mihi iucundius ſit, quàm ad te ſcribere (iucundiſſimum enim id eſt certè quidem, & ſemper erit, & ita, nihil vt aliud cum eo comparari poſſit) ſed quòd timeo, ne meæ literæ quoniam in concurſũ quendam occupationum tuarum venturę ſunt, moleſtiam

molestiam tibi exhibeant. Ego vero cum de meis superioribus literis recordarer, cuiusmodi fuissent, magnam in illis metus causam inueni, quam nunc augere nolueram, nisi Checi voluntas intercessisset rogantis, aut authoritas potius iubentis. Nihil autem illis aliud à te peto, nisi primùm vt illis ignoscas, ipsis fusis à me properanter, et secus quàm ad te decet, deindè, vt existimes, me te, vt pręceptorem venerari, amare vt patrē, & ita videre cupere, vt huic vni rei omnia postponam. Me measq; res omnes commendo tibi, non vt sollicitudinem tibi aliquam ex illis obijciam, sed vt ea agas, si quæ sunt huiusmodi, vt nullo labore tuo, meis fructibus maximis effici possint. Vale. Cantabrigiæ, ex regio collegio.

G. HADDONVS THOMAE VVilsono S. D. P.

CVm antè te tantum diligerem, mi Wilsone, quantum tu intelligere potuisti, tamen crescit studium meum, studio tuo,

 quod

quod in tuis literis ita se effert, vt nullum penè maius intelligi possit. Videram antè strictim, & quasi per transennam, indolem tuam, eiusque veluti formã quandam summè probaui. Nunc omnibus ingenij partibus sic te ipse euoluisti, vt qualem ego te aliquando fore sperarem, talẽ propè te iam esse intelligã. Quapropter danda tibi posthac opera est, ne tempus hoc, in quo nunc es, quod ad maximas, & præclarissimas res adipiscendas tibi datum est, huiusmodi studijs abeat, quibus maxima pars adolescentum, ætatis tuæ, se occupat. Si non magis te amarẽ, magis probarẽ, quàm cæteros, non magis istuc tibi, quàm cæteris præciperem. Nunc cum ea, quæ sunt in alijs mediocria, partim natura, partim diligens quædam optimorum authorum animaduersio in te summa effecerit, auget tua præstantia timorem meũ, quoniam hoc multo iam rerum vsu sæpè vidi, fœlicibus ingenijs, cuiusmodi tuum esse reor, & planè scio, mul-

tas insidias tendi solere. Cōtra quas vt celeriter, et maturè te munire possis, aliquot tibi non præcepta solum ex libris, sed monita communis vsus ex vita tradam, quibus si tantum vti velis, quantū debes, & quantū certè vis, illorum vtilitas non his primis tēporibus tuis definietur, sed in omnem reliquam ętatem tuam hærebit. Quoniam autem te scire volo, quātam ad me tua scripta voluptatem attulerunt, & posthac vt alacrior ad scribendum sis, per omnes epistolæ tuæ locos peragrabo, neque profectò committam, vt tua vincat industria meam diligentiam. Primùm igitur quòd me tam abundanter laudas, & teipsum abijcis, facis in eo perhumaniter. Nam immenso quodam studio me exornandi tā longè vectus es, vt veras laudes tuas tibi ipse detraheres, & mihi falsas affingeres. Qua in re licet mendacium inerat apertum tuum, modestè tamen, & beneuolè mentitus esse visus es. Maximum autem ornamentum in adoles-

olescente pudor est. Quo fit, vt ipse sibi displicens, placeat alijs. Et in hac ætate tua præcipuam quandam commendationem habet, de se nihil ipsum gloriosè loquētem, alios multùm, & sæpè suis sermonibus celebrare velle. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, vt ait Cicero, tum eruditionis, & ingenij longè odiosissima. Quo vitio si quis iuuenis animum suum tam vehementer disiūxerit, vt contrariam rationem admirandi alios, seipsum extenuandi suscipere possit, quomodo tu facere mihi visus es, infinitam beneuolentiæ vim isto modo colliget. Quarè tuus de me tā honorificus sermo, mihi iucūdissimus fuit, nō quòd ego dignus eo sim, sed quòd is annis, & ingenio tuo dignissimus fuerit. Itáque præceptum hoc Isocratis ad extremū te perpetuò tenere velim, vt amicitiam à laude, odium à reprehensione semper oriri putes. Omnibus enim ingeneratus quidam amor sui est, ex quo non solum id habemus, vt ipsi nobis

nobis chari simus, & proprijs laudibus fa-
ueamus, sed etiam illos vt arctissima bene-
uolentia comprehendamus, quorum voce
nostrarum rerum gloriosa commemora-
tio proficiscitur. Quapropter hęc alios lau-
dandi consuetudo, cum maioribus nostris
tribuitur, officium, in socijs, gratitudo, in
his qui sunt inferiores, humanitas appella-
tur. Ipsa verò per se, quacunq; ingreditur,
plena semper fauore, summaq; gratia est.
Hæc autem tam diu non disputo, me post-
hac vberius vt laudes, qui nunc etiam ni-
mium a te prædicor: sed vt hanc quasi ma-
chinam ad commouendas hominum vo-
luntates adhibeas. Ausim enim affirmare,
nō tam doctus, quàm quòd maius est, ex-
pertus, nullam esse maiorem illecebram ad
hominum vndique conquirenda studia,
quàm pudor iste modestus est, de quo lo-
quutus sum. Ego verò te quibusdam præ-
ceptis non solum ad doctrinam, sed etiam
ad vitam nunc insequor vt erudiam. Non

enim quia te ipse diligo, cæteris te inuisum esse velim, sed quemadmodum mihi charus es, itidem aliis te, dignis tuo studio viris, omnibus esse cupio. Quanquam & aliud hoc in loco velim intelligi, de quo post apertius in illo literarum tuarum angulo, qui proprius tui amoris est. Nũc te sequar ad beneficia mea, quę tu multò plura facis, & præstantiora, quàm reuera fuerunt. Sed nimirum nouis, & magnis afficiendus es, qui veterum memoriam, & exiguorũ meritorum tam diligenter, & officiosè seruas. Et hîc gratitudo, quàm apta sit ad hominũ voluntates alliciendum, allectas retinendũ, immensa de eo possit oratio sumi, sed ingenium tuum video, meas occupationes recordor, et ad reliqua propero. Tantum hoc dico voluisse me, & adhuc velle, omnia tibi summa tributa, quę à me possunt ad te proficisci, nec me prius ab hac voluntate discessurum, quàm tu à tuo, quo nunc esse videris, animo discesseris. Equidem paucissi-

mi sunt, & semper fuerunt, quibus egregiè faui (plebeium enim nihil me vehementer iuuat) sed quos semel animo complector, ab illis nulla me res distrahere potest. Nihil enim periculosius in amicitiarum societate reor esse, quàm veteribus relictis, ad nouos vitæ socios deuolare. Nam inconstantia magnam ipsa in se leuitatē habet, subitaque consuetudinis, & vsus nostri commutatio, plena maximarum rerum offensione est. Quanquam nos certè tot modis discludimur, vt paucissimis rebus coniungi possimus. Verum quoties tempus, res, locus ferent, promitto me nulli parti commodorū tuorum vnquam defuturum esse, nisi tibi ipse defueris, hoc est, nisi me, meaq; opera uti nolis. Quòd literas tanquā obsides tuæ voluntatis ad me dedisti, rectè quidem id ordineque fecisti, nec maius tuum in illis mittendis studium fuit, etsi fuit certè magnum, quàm meum erit in suscipiendis, tuendis, conseruandisque. Comprehendā

illas

illas omni beneuolẽtia, nec vnquam longè à me abire ſinam. Tu meas ad te nunc profectas, ſiue nuncias, ſiue obſides, ſiue adminiſtras meæ ſententię, fac vt pari indulgẽtia tractes, ne, ſi tu ſemel eas à te dimiſeris, in alienas fortè manus perueniant, & ibi ſint, vbi ego eas minimè eſſe velim. Seriò te admoneo, meas vt literas omnium auribus, et oculis, omnibus modis ſegreges, quarum etſi genus honeſtiſſimum eſſe vides, tamen ſuſpiciones, & linguas hominum vitare non poterunt, ſi emanarint, adeò cogitationes omnium, & ſermones occupat, partim inuidia, partim voluptas quædam aliorum voces, & facta ſubauſcultandi, peſſimeq; interpretandi. Qua igitur in re diuturnus me rerum vſus erudiuit, id tu ex me diſce, non ſolum ſic vt ſcribas, & etiam ita viuas, laudes vt omnes, ſequare paucos, arrideas multis, fidas penè nemini, audias alios diu & ſæpè, dicas ipſe rarò & breuiter, amoris ſigna plurimis oſtẽdas, amoris

veram familiarem, & intimam coniunctionem, vel cum nullo ſuſcipias, vel vnus is ſit, quo velis, & poſſis ſolo ad omnia vti. Nam ſi cum multis te colligaueris, infinita ſequuntur incommoda. Primùm illis vniuerſis ſeruiendum, quibus te ſemel dediſti, nec tuis inſtitutis viues, ſed alienis, quod ſi cauſa diſcordiæ cœperit inter vos, vt in multitudine fieri neceſſe eſt, tum familiaritatis, ſermonum, & totius reliquę conſuetudinis veſtræ pœnitebit. Illi ſuperioris fiducia ſocietatis, quantum poſſunt, & ſciūt, tantum volunt & audent, tu prioris metu coniunctionis, etiam in cauſa meliore tua cogêris obmuteſcere. Tum illud quāti eſt, tecum vt ipſe viuas, & ſumma libertate tū dicendi, tum ſentiendi fruare, videns aliorum interim & ridens in vtroq; turpiſſimā ſeruitutem. Ego certè me non libenter abdā in angulum, ſed in cœtu frequenter eſſe velim, & ita eſſe, non vt grauis videar, aut acerbus cuiquam, ſed iucundus, & ſuauis

omnibus. Tu verò si vulgò te patefeceris, & naturam tuam denudaueris, in omnium incurres, vel dicacitatem, vel odium, vel reprehensionem, vel contemptum. Plurima sunt huius generis, sed omnia non possum vno tempore complecti. Quarè totam hanc rem verbo concludam, meum ingenium, literas, vsum, existimationem, studium, me denique totum, quanti esse putas, tanti præceptum hoc meum tibi sit, familiares vt plurimos habeas, & quot voles, amicum vnicum, isq; talis sit, vt possis eum tanquam teipsum diligere. Sic in tuto semper omnis vitæ tuæ status collocabitur, & dulcissimum amici tui fructum vberrimè percipies. Eum igitur vnum tibi solum dem amicum, quicum te oblectes, omnia communices, in cuius vsu morũ, & sermonis conquiescas. Fortassis expectas vt dicam qualis esse debeat, quemque ego eum potissimùm esse velim. Equidem optimum optarem, & amantissimum tui, sed

iudicium tuæ voluntatis liberum, & integrum in eo ſumendo eſſe debet. Nam nec aſſiduitates, nec officia, nec authoritates, nec conſilia, nec vlla res alia præter amorẽ tibi debet amicum ſeligere. Valent hæc alijs in locis, & ſingula proprias commoditates habent. In amico deligendo nihil prę-ter voluntatem, ſtudium, amorem, ſequi par eſt. Quem igitur libenter vides, de quo libenter audis, quicum ſemper eſſe velis, ſi queas, cuius mores, ingenium, nomen, & totam formam omnium rerum vehementiſſimè probas, quem ægrè præſentem deſeris, de quo abſente frequenter cogitas, quem omni animo, ſententia, męnte intueris, hunc tibi potiſſimùm, teq́ue huic amicũ deſignauerim, qui ſi non adhuc apparet, expecta donec apparuerit. Ex illo enim cumulus lætitiæ, ſolatium ægritudinis, alacritas in vita, ardor ad literas, delectatio rerum præſentium, ſpes futurarũ, iucundiſſima recordatio præteritarũ, omnis deniq;

ſyncera voluptas factorum, & dictorum omnis generis exiſtet. Interim donec talis inciderit, in libros, & literas te inuolue, quod non ita dico, quaſi te velim in cubiculi tenebris, tanquam in ſolitudine quadã, iacere, ſed vt quacunq; ingrederis, animũ, mentem, ingenium in perpetua commentatione literarum defigas. Nec enim, crede mihi, libris inſpiciendis, & contrectandis, nec multitudine lectionis, nec diuturna commoratione in eiſdem locis, nec vlla tali re doctrina comparatur, ſed agitationis cuiuſdã animi, memoriæ, cogitationis etiam, & intimi ſermonis mentiũ noſtrarum totũ hoc negotium eſt. Quapropter egregiè Cicero, viris eruditis viuere eſt cogitare. Lege igitur nec multa, nec diu, ſed multũ, & ſæpè, & optimos authores, & in his ea, quæ ſunt optima. Totũ tempus reliquum, vel audiendis alijs, vel antegreſſi proprij ſtudij tacitis quibuſdam, & attentis cogitationibus tranſmitte. Quæ ſi feceris, omnia

nia hac ipsa ratione consequeris, quæ vis. Nunc ad illam venio luculentissimam cõditionem, in qua non solum literas, quibus admodum delector, sed teipsum etiam quem plurimi facio, mihi offers. Equidem hanc ego conditionem, nisi certa quadam alia conditione mea, non accipio, quæ talis est, vt si quidem meus esse velis, totus in potestatem meam peruenias, nec alium habeas præter me, quem tanquam me ames. Magua sunt quæ tu dicebas in isto loco, cum ad me scriberes, & hæc nimirùm maxima sunt, quæ nunc à te requiro. Iungamus igitur magna maximis, aut omnem coniunctionis spem abijciamus. Tuarum literarum quicunque modus fuerit, mihi sanè semper erit idem iucundissimus. Nec id cures, quòd instituens ad omnia respondere, multa præterierim. Factũ enim hoc est, partim alijs occupationibus meis, quarũ aliquis ad te fructus, si velis, paulò post perueniet, partim studiorũ

tuorum consyderatione, quibus diu te meis literis auertere nolebam, partim vt nouis posthac argumentis vtar ad te scribendi. Quapropter tu styli hunc vsum ne intermitte. Nam alijs, aut crudus, aut occupatus fortassis ero, tibi quidem certè semper respondebo, siue ad me scribenti, siue me amanti, siue ad me venienti, siue de me cogitanti. Tu certè quantum me amabis, tãtum ad me venies, scribes, tantum loquere mecum & viues, & iniussus hæc audacter omnia mecum familiarissimè tractabis. Hæc igitur quò maiora, vberioraq; erunt, eò me impensius à te diligi credã. Quantum autẽ ab his proprijs amicitiæ muneribus abfueris, tantum ego te à veri amici natura abesse iudicabo. Vale. Ex Musæo.

EIDEM.

LIteræ tuæ ad me peruenerunt, in quibus gratissimum mihi fuit studium tuũ, tum erga doctrinam, tum erga me. Communis enim

enim laus est honestorum adolescentum velle erudiri, propria verò tuæ beneuolentiæ est, quòd ex me potissimùm discere vis. Excusas multis verbis, quòd non antè ad me scripseris, & promittis te in hac re diligentem fore. Vtrumque facis modestè, & perhumaniter, quòd & de tua negligentia confiteris, & te ipse ad officium reuocas. Quanquam negligentes in eo propriè dici non possumus, quod necessariò non fit, nec vlla prætermissio officij in illis rebus est, ad quas liberis consilijs sine imperio, ac vi accedimus. Quarè non tu quidem ingratus fuisti, qui hactenus nō scripseris, sed valdè officiosus es, quia iam scribere cœpisti. Vale.

CVIDAM NOBILI.

QVòd mihi liberorum tuorū curam potissimùm mandare voluisti, præclarissime vir, valdè tanto delectabar tuo studio. Nam, et summa profectum est tua huma-

manitate, quem nunquam vidiſſes, illum tanti facere, vt ad tuos inſtituendos filios aſſumeretur, & mihi glorioſum ad famam eſt, me cæteris à te præpoſitum in hoc munere. Nec leue cuiquam tuum iudicium videri poteſt, quod præter authoritatem, quam habet maximā, cum literarum ſcientia coniunctū eſt. Nam & aptiſſima dignitati veritas eſt, & omnibus ſui partibus ea tibi qualis ſit, doctrinæ præceptis intelligitur, vt nec aberrare velis à recto, quoniā honore plenus es, nec poſſis, eruditus inſtitutis optimarum diſciplinarum. Meæ duriſſimæ ſunt partes, qui cogor rem honeſtiſſimam maximo negare ſtudio tuo, cum omnia minimè debeam tuæ voluntati concedere. Nec profectò meus animus à tuo diſſidet, nec ferè quiſquā eſt, quē opera mea malim vti, quàm te. Sed ea ratio tēporum eſt expectationis partim meæ, partim amicorum, vt tecum eſſe non poſſim. Quod ſi cætera omnia eſſent, vt vellemus,

maximè, ni fallor.

corporę iam diu ſic affectus ſum, nullum vt vſum mea tibi vel ſumma diligentia poſſit afferre. Quarè pudori meo veniam dabis, qui ſi maximè valerem, parentum ſpei, & honoratiſſimorum promiſſis amicorũ meorum inſeruire deberem, & me nunc ægro facillimè carebis, quoniam ita ſi ad te accederem, quemamodũ nunc ſum, grauis potius, quàm vtilis tibi forẽ. Quod proximũ fuit, quodq́ue tam vehementer cupere videbaris, vt alium tibi cõmendarem dignũ eo loco, in quo à te ponẽdus eſſet, in eo meam exprompſi tantam induſtriam, quanta maxima potuit his temporibus eſſe. Vnus erat de cuius ſingulari probitate morum, excellentibus literis, meo periculo tibi poteram affirmare, quocum egi ſumma cõtentione tecum vt eſſe vellet. Sed ille nulla ratione perſuaderi potuit, ſiue quòd otium academię, negotio fructuoſiſſimo pręferat, ſiue quòd illius verecundia, ſtrepitum aulę reformidet, ſiue quòd aliud vitæ genus, vel

aptius fore credit, vel magis amat. Cæteros conuenire multos non poterã, quia nec satis dabatur temporis, & cura corporis me ad se perpetuò reuocabat, et mihi constitutum est, nullum tibi dare, nisi te dignũ adolescentẽ. Post firmior, diligentissimè quęram, & si prouisum interim tibi non erit, aliquem inueniam talem, qualem eum oportet esse, tuorum qui gnatorum pueritiã informet, & qualis ex academia, mea cõmẽdatione ad te proficisci debeat. Interim me, meamque facultatem vniuersam tuæ voluntati deditissimam scias esse, & fore. Vale. Ex regio collegio Cãtabrigiæ, octauo die Nouembris.

G. HADDONVS HIERONYMO
Osorio Lusitano, S. D.

LEgi, Hieronyme, tuam epistolam, quæ licet excellentissimæ sit Angliæ reginæ separatim inscripta, tamen scripta videtur ad omnes: quoniam typis propagata, publicè per hominũ oculos peruagatur. Magnus

gnus es tu quidem verborum ac ſententiarum architectus, & in eo tibi multum ſũpſiſti, quòd vir priuatus, terra, marique diſiunctus, noſtrarumque rerum inſolens, regalem maieſtatem tam fidenter affatus ſis, quòd legum dignitatem minueris, quòd generatim nationem noſtram, impiæ cuiuſdam, & inuidioſę nouitatis ream feceris. Itaque mihi abs te ignoſci æquum eſt, ſi vir Anglus, regalis maieſtatis alũnus, & Anglicorum inſtitutorum intelligens, tibi reſpondeam, & paulò tecum agam liberius, nulla offenſione animi, nulla diſſetionis acerbitate: ſed vt errorem de Angliæ ſtatu tuũ, falſis rumorũ inſuſurrationibus collectũ corrigã, & aliorum opiniones emendẽ, quas tuum fortaſſè ſcriptũ deprauauit. Vt autẽ planè cognoſcas iracundia me non efferri, ſed officio cõmoueri, genus ſcribendi tuum magna mihi commendatione dignũ videtur, & tibi gratias ago, quòd cum hac facultate ſis, qua es, regalem maieſtatẽ lau-

dibus extuleris, cuius licet excellentiæ perfectio ſit omni tuo ſermone ſuperior: tamen exornatũ eloquentia, ſanè glorioſum eſt externum teſtimonium. De Monarchia philoſopharis non inſcienter, & de præſtantia religionis accuratè concionare, ſed vnum eſt tuum in vtroque nonnullum peccatum, quòd nota per ſe ſatis nimium inculcas, & in rebus non dubijs orationem adhibes minimè neceſſariam. Hanc oratio tua quaſi viã ſibi præmuniens, ſenſim ad id delabitur, quod pręcipuè tibi fuit inſtitutũ, vt religionẽ peruellas, quam à nobis receptam eſſe credis. Atque hîc, in ipſo introitu, vel callidè diſſimulas, vel ignoratione conſuetudinis noſtræ ruis, cum publica decreta conformatę religionis, ad multitudinem incertorum hominum ſeuocas, & regalem maieſtatem ab hac tractatione nominatim excludis. Eſt enim hoc in more noſtro poſitum, vt nulla iura ferantur, quibus vniuerſa reſpublica teneri poteſt, niſi plebe

pri-

primùm suffragante, deindè nobilitate cõsentiente, proceribus etiam ecclesię conspirantibus, & ad extremum iubente principe. Quapropter si quicquam est tibi secus insusurratum, authoris fuit mẽdacij culpa, credulitatis tua. Quòd si fingis ipse ex te, ius vt nostrum infames, quasi truncum sit, & mutilatum multitudinis inuentum, minimè facis ingenuè, quòd in ipso ingressu tuæ disceptationis tam dedecorosam legibus nostris labem inurere voluisti. Sequitur tua grauis, & inprimis vehemens obtestatio, qua regalem maiestatem adoriris, vt si ratione planum facias, & probationũ euidentia demonstres, quid in religione syncerum, incorruptumque sit, tum ne duram se tibi nimium, & difficilem regalis maiestas præbeat, sed manus det, veritatẽ agnoscat, & ab errore se patiatur abduci. Rectè tu quidem. Et ego vicissim hanc ad te petitionem non minus æquam affero, tuam vt accusationem cum ostendam criminatio-

nis habere nimium, argumenti nihil, ſtomacho profectam eſſe, nō veritatis ſtudio, calumnia niti, non ratione, conuitium eſſe maledictis conflatum, non diſputationem in religione fundatam, hæc inquam omnia cum peruicero, tum vt mihi de te pronunciare liceat, nimium in aliena te republica curioſum eſſe, & temerè ingreſſum ad earũ rerum reprehenſionem, à quarum adhuc ſcientia longiſſimè abeſſe videris. Ordiris ab atrociſſima querela verbis conquiſitiſſimis exaggerata, multitudines hominum, neſcio quas, à veritate religionis apoſtolica ſe abalienauiſſe, nouamq́ue ſimiliter, nobis ignotam, voluptatis, & libertatis oſtentatricem inuexiſſe, ſed eam eſſe longè peſtilẽtiſſimam, & fluminibus inundare malorũ innumerabilium. Deindè in authores impetum facis, contra quos tam ſpiſſis, & horribilibus conuitiorũ flammis fulminas, vt nihil illis in terris cogitari poſſit deteſtabilius. Vbi ſunt hæc portenta religionis? quæ

ſunt? quandiu fuerunt, & quemadmodũ de illis conſtare poteſt? vbi reperiuntur hęc hominum monſtra? quid moliuntur, & quemadmodum? & vndè tibi de illis compertum eſt? Deſigna res, nota perſonas, appone tempora, circunſtantias adhibe, certi tandẽ vt habeatur aliquid in quo cõſiſti poſſit, atq; adeò tibi reſiſti. Vociferaris contra religionẽ, pugnas cõtra religionis authores, in vtroq; magnã ſermonis acerbitatẽ adhibes, neutrũ quid ſit, aut vbi ſit, explicas. Miſerabilis hęc quidẽ tua eſt accuſatio, quam ſi verbo refellam, omnino eam ſtatim neceſſe ęſt obmuteſcere. Clamas, imò profectò exclamas, & valdè ſanè lamentabiliter, eſſe recèns ſuſceptam religionem execrandam, auerſandam, abominandam, eſſe eius authores ſceleſtos, ſicarios, veneficos, euerſores rerumpub. hoſtes humani generis. Ego contrà, nihil iſtorum eſſe contendo, tibi non credo, doceri poſtulo. Quid affers? quid probas? inclamas quantũ potes, omnia

nia flagitiorum vocabula cumulans, quæ videris ad hanc ipsam rem seposuisse, commē[illegible] vt religionē tuam illis deformares, [illegible] confoderes, quas præter te nouit nemo. C[illegible]quidem nobilissimam Christianæ ditionis insulam, ac tibi minimè notam, ex fictis, vel maleuolorum nostrorum, vel assentatorum vestorum rumusculis, in auribus regalis maiestatis tot contumelijs diuexare, nullum statuentem certum criminis, aut personæ nomen, hominis est parum consyderati, suoq; otio ad aliorum infamiam nimium abutentis. Sed plura complectamur. Popularem esse dicis hanc, quam accusas sectam, & hominum ab illis vitia non castigari, sed incitari cupiditates, & furores inflammari, multis exemplis de veneficijs illorum & conspirationibus contra principum salutem constare. Terribilis sanè criminatio, teterrimūq; genus hominum, si vllum huiusmodi spirat in terris. Sed si nullum est, magnum est,

et

et temerarium criminatoris vitium in rebus bene constitutis tam diras excitare tragœdias. Tamen vt ingenuè confitear, illata venenorum, & bellorum mentione, ad superiorem maiorum nostrorum memoriã respiciens, incipio recordari de Henrico quarto quodam imperatore, quòd stupenda quadam, ac sacrilega crudelitate monachus illi venenum in Eucharistia suffuderit, quo paulò post interierit, & cuius in eo consiliũ interuenerit, ex historia cognosci potest. Et annales nostri flagitio simili personæ non dissimilis, Ioannem Angliæ regem absumptum attestantur. Sed hęc ad te particulatim allegare minimè sanè opus est, qui cum multò sis his maleficijs propior, quàm ego sum, melius propinquorum tuorum libris scire potes, quàm frequenter pocula venenorũ inter ecclesiæ Romanæ principes, & patronos commeauerint, deindè bellorum semina quemadmodum, & à quibus per vniuersas christianæ ditionis

respub. persperſa fuerint. Verùm accuſatoriè non agam, ſicut tu facis, nec ſuſpitionibus pugnabo, ſed immortali deo manus ſupplex tendam, gratias agens maximas, quòd illas ſuperiorum temporum profundiſſimas caligines, euangelij ſole palàm inter nos exorto, diſpulerit, cuius ignoratione prius, & ſuperſtitionis fiducia, ſcelerum in ſentina ſecurè volutabamur, plumbo diplomatum credentes expiatum, & precũ demurmuratione non intellectarum, quicquid admitti poterat improbitatis in vita. Sed intonuit in auribus noſtris ſacrarum ſcripturarum authoritas, & ita conſcientias perterrefecit, vt in ſola dei miſericordia gratuita, poſtpoſitis, & abiectis hominũ inuentis perfugium habeamus, illud pariter accurantes, quod à propheta præcipitur, vt morum noſtrorum innocentiam ad ſanctitatem, & iuſtitiam conformemus. Quæ cum ita ſint, miror cur tam longa tibi fluxerit ad regalem maieſtatem oratio, qua pro-

prouidendum omnibus principibus, & vigilantissimè præcauendum esse scribis, ne per nouam hanc tuam, adhuc ignotam sectam, loco moueantur. Equidē regalis maiestas omni prosperitate floret, ac suos amans, amatur à suis, & ne minimam quidē horum tumultuum, de quibus tu vaticinaris, auram persentiscit. Reliquas ego resp. iamdiu tranquillas fuisse, et adhuc esse spero. Certè contrà nihil intelligo, nisi fortè Gallicam tempestatem obijcias, quę & ipsa nunc placata est, et vndè primùm flare cœperit, facillimū explicatu est. Sed quoniam tu nihil nominas, ego præteribo. Sequitur in epistola tua communis, & tritus omniū scriptis sermo, de fragilitate præsentis vitæ, quam contemni vis, & aditum ad cœlos fieri, proijciendum esse quicquid est humanarum rerum, vt sempiternum ad fœlicitatis statum peruehamur. Deindè mirare nouis nos ad hanc rem magistris vti velle, cum tua quidem sententia veteribus con-

tenti esse possimus: tamen addubitari cõfiteris,& cõmemorari de professione quadam doctorum recens ingressorum, qui falsam nouitatis infamiam deprecantur, & hoc suscipiũt, vt ecclesiam omni fæce scholasticorum errorum resecta perpurgent,& ad apostolicorum institutorum synceritatem reuocent, vt veritatẽ in euangelio Iesu Christi fundatam, iamdiu quæstu, & ambitione oppressam, orbi Christiano repræsentẽt, vt obscuratam hominum somnijs dei gloriã, clara sacrarum scripturarũ & aperta luce perfundant, vt superstitionũ seruitute nos exoluant, deniq; purum dei cultum, & antiquam priscorum temporũ disciplinam restituant. Horum tu quidem professionem ita laudas, vt conatum irrideas, hos tota reliqua criminatione tua vexas,& versas arbitratu tuo, partim ludẽdo, partim stomachando, partim declamãdo, partim etiam exclamando. Benè est. Quænam sit tua noua secta tandem intelligo,

go. contra quam tantoperè tuam eloquentiam exacuisti. Tandem aduersarios video, quos, tanquam regni pestes, à regali maiestate desecari vis, & foras eijci. Mihi contrà videtur, hos euangelij professores, dei seruos esse, diuinitus ad nos dimissos, vt ignauiam nostrã in his periculosissimis senescẽtis iam mundi temporibus expergefaciant, tarditatem incitent, errorem refellant, impietatem coarguant. Itaque conquirendos à regali maiestate, magnifaciendos in vniuersa republica. Vides quantum inter tuã intersit, & meam opinionem. Pergendum igitur est, & ponderandum, quid tu, magnus scilicet ille principum magister, contra venerãdos dei seruos, aut veri proferre potes, aut falsi comminisci. Quanquam aliorũ, vti reor, ista fingendi crimen fuit, tuũ est sanè duplex vitium, in assentiendi temeritate primum, & alterum in scribendi confidentia. Nec omnes tuæ criminationis angulos excutiam, quæ maxima ex parte

ſonos inanes fundit, verborum ſplendore decoratos: ſed per capita præcipua breuiter decurram, & ipſa, ſi poſſum, accuſationis tuæ cornua commouebo. Primùm ad perſonas animaduertendū eſſe dicis, quoniam magnificè promittunt, & explorandum, quid in illis ſit facultatis, & neruorū, quantum habeant virtutis, & ſanctimonię. Deindè quæris, an perfectiores in omni laude pietatis ſint, quàm Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus fuerunt. Equidem multi ſunt ex illis eximia doctrina, moribus integerrimis: nec tu quicquam affers, cur non pares vetuſtis patribus eſſe poſſint. Sed vt ab his inuidioſis te comparationibus abducam, nego id hoc in loco quæri debere. Noſtros enim doctores cum illis venerādis patribus conſpirare defendo, viam eandem ingreſſos, ſummā religionis eandem tradere. Quòd ſi ita eſt, fruſtrà eſt inter concordes comparatio. Si non eſt, tu diſſentire doce. Queritur

tur Augustinus in suis temporibus flumina ceremoniarum sic inundauisse, deterior vt propè conditio Christianorum fuerit, quàm olim fuisset Iudæorum. Hieronymus sacras scripturas ab ecclesia vestra penitus abstrusas, & abditas, etiam à pueris, et mulierculis memoriter optat edisci. Basilius otium suum sanctissimo theologiæ negotio transmisit, & discendæ, & docendæ. Quòd si Basilicis institutis monachi vixissent nostrorum temporum, ne digito quidem illos quisquam attigisset. Athanasij symbolū iustam habet venerationem, nec ylla inter illum, & nostros est quæstio. Sed mihi satis est reuerendos patres nostros dicere, donec tu non esse planum feceris. Verùm ex antiquis hisce patribus, quoniam præter nuda nomina nihil ad institutum tuum allegare potes, ad nostrorum transis reprehensionem, & orsus à Luthero, manes eius maledictis dilaceras, audacem increpans, & popularem, &, si dijs placet, furiosum

furiosum etiam. Iste vir dei, quem tu furere calumniaris, in publico cõsessu coram imperatore Carolo, sobriam & sanam fidei suæ rationem reddidit. Iste furiosus contra sapientissimos ecclesiæ vestræ patronos saluus annos triginta constitit, illis aduersus eius salutem quantumuis insanientibus. Erasmus huic furioso singulare dat innocentiæ testimonium istis ipsis verbis: Lutheri doctrinam improbant nonnulli, vitam vno ore prędicant omnes. Sed popularem fuisse Lutherum addis. Quemadmodum hoc interpretare? Si popularis est, qui respicit ad populi salutem, nemo magis. Si popularis leuitatis concitatorem intelligis, reuolue scriptum, quo populares Germaniæ tumultus exagitat, & mitte contumelias. Sed ne videaris in solo Luthero peccare, reliquos annumeras: quasi tantum in affirmatione tua põdus sit, vt possit ex optimis viris pessimos efficere. Duos nominatim citabo præcipuos euangelij professores, Martinũ

Buce-

Bucerum,& Petrum Martyrem, ad hanc insulam summo dei beneficio delatos. Cõferãt omnes inimici capita, videamus quid in istorum vita reuerendissimorum patrũ ipsa possit inuidia desyderare. O aureum par senũ fœlicissimæ memoriæ, quorũ doctrinæ testes libri sunt ab illis confecti, morum tot habuerunt approbatores, quot vnquam conuictores inuenire potuerunt. Tu verò, si sapis, linguam posthac, & stylum cohibe, etiam atque etiam vide quò irruas, noli confidentes, & audaces, & elatos omnes appellare, cum magna sit illorum multitudo, qua nihil mansuetius possit, aut modestius, aut consyderatius reperiri. Duos proferebã, liceret eodẽ modo de gregibus nostrorum hominum affirmare. Sed satis est duorum eximia modestia reprehensionem vnius, nimis ipsam audacem, et confidentem refutare. Transilis rursus ad nostrorũ doctrinam, & improbas in ea, quòd solas vrgent sacras scripturas, solùm ad

consilium adhibent spiritum sanctum, reiectis, & repudiatis authoribus humanis. Equidem hoc si ita esset, sequerentur in eo domini nostri Iesu Christi morem, sequerentur apostolorum consuetudinem, & veterum patrum in primis ecclesiæ temporibus. Sed secus est. Assumũt enim probatorum interpretũ sententias omnis memoriæ, quemadmodum illorum libri testificantur, qui tuam hanc calumniam apertissimè conuincant. Suauiter tu quidem ludis, & etiam, vt tibi videris, neruosè disputas contra nostram, quam ostentant in vita, perfectionem, & tamen hanc ipsam dicis illorum quotidianis flagitijs coargui. Falsum est illos supra sortem humanam sibi quicquam arrogare, contumeliosum est eorum mores infamare, quorum ne minimum quidem erratum proferre vis. Ostẽde, si potes, quicquid est, quod tam vehementem habet offensionem. Si non potes, desine contra personarum grauissimarum existi-

existimationẽ tam perniciosè nugari. Demonstrari postulas qua in re nostri meliorem fecerint ecclesiæ conditionem, quàm anteà fuerit. Non opus est repetere nos, tu ipse commemoras, sed interpretatione differimus. Tu virginũ, & monachorum cœtus ad celebrandam dei gloriam, & tuendam corporum castitatẽ inclusos, à nostris ad libidines, & omnem vitæ licentiam emissos criminaris, ædes illorum quæstu publicatas, leges latas, ne religio libidinem impediret. O nimis procacẽ, & licentiosam omnia peruertendi libidinem. Fatemur, & quidem perlibenter, sanctissimis nostrorũ monitis illas corruisse scelerum cauernas, in quas teneræ virgunculæ detrudebantur, & miselli pueri, tanto morum detrimento, quantum verecundia mea non potest explicare. Nihil propemodum habebant illæ nequitiarum officinæ, præter Pharisaicam ignota lingua precationum assiduitatem, reliqua poterant interiora cum illis priscis

Romæ bacchanalibus comparari. Quarè deus nostrorum mentes excitauit, vt tam numerosæ cohortes in corruptissimis angulis delitescentes, illorum pijs cohortationibus ab otio ad negotium, à vitijs ad virtutem, ab infandis congressibus, ad honestissimum coniugium euocarentur. Nec tamen vllam in matrimonijs necessitatem facimus, sed humanum iugum conscientijs detrahentes, euangelij libertatem restituimus, in qua domini nostri Iesu Christi manifesta verborum authoritas nos collocauit. Ædes verò pios ad vsus scholarum, academiarum & xenodochiorum distributæ sunt, legibus prouisum, ne rursus sues in cœno tam inquinato se volutarent. Magnum hoc, & summum dei beneficiũ, quo plus per nostros diaboli tenebricoso regno detractũ est, quàm omnibus in vnum collectis ecclesiæ vestrę constitutiunculis. Deploras imaginum, & tabularum amolitionem, & demptis huiusmodi monumentis, nihil

nihil reliqui superesse contendis, quo mens ad diuinarum rerum meditationem suscitari possit. Nostri verò cœcitatem recentiorum temporum recordantes, idololatriç deliria perhorrescunt, contra quam expressũ dei præceptum est, & euangelium à simulacris præcaueri iubet. Hoc autem metu sublato, tamen doctrina domini nostri Iesu Christi, summam debet inter Christianos viros authoritatem habere, qua pronunciatur deum, & ipsum esse spiritum, & illorum esse rectum precandi morem, qui spiritu illum, & veritate colunt, & tales etiam â deo patre precatores perquiri solere. Salutaris hęc est inprimis supplicandi formula, si ponderemus vndè profecta sit, & quô referri debeat, nec his eget externarum rerum adminiculis, quibus ad solium dei patris ascendat. Imò verò noster externus homo, dum in his sacrorũ adumbrationibus nimium occupatur, vis mentis interior refrigescit, & vitiosum hunc fucatæ re-

ligionis ſuccum colligens, verum cœleſtis meditationis fructum amittit. Apponamus exempla. Vetus apoſtolorum, & martyrũ eccleſia nihil habuit iſtorum monumentorum, & tamen erat illorum ſpiritus amore diuini numinis inflammatiſſimus. In deflexu ſynceræ religionis, picturæ ſenſim irrepſerunt, & elanguit ille prior in animis efferueſcens religionis ardor. Tandem inuexit ſe degener, et ſuperſtitione deformata ſcholaſticorũ theologia. Statim omnia conferta picturis, & imaginibus, quorum externa veneratio cum omnibus in locis increbuiſſet, verus, & internus dei cultus recidit. Itaq; philoſophare quantum libet de ſenſuum imbecillitate, quantum potes horum ſignorum præſtantiam exorna, tamen illud in ſacrarum ſcripturarum authoritate manebit, deum in ſcripturis perfectiſſimè cognoſci, & in ſpiritu ſynceriſſimè coli, veſtraſque picturas vel præſente ſpiritu non deſyderari, vel eo abſente non pro-

prodesse. Sed nimium tibi videtur ista per partes tractare, quapropter summatim ponis, sacra, ceremonias, et sacramenta omnia funditus à nostris euerti. Quid ego audio? Viuit vllũ in orbe Christiano theologorũ genus, quod sacra, ceremonias, & omnia sacramenta funditus euertit? Aut id ita esse necesse est, aut tuam oportet esse, sicut profectò est, nimis impudentem hyperbolen. De reliquis ecclesijs affirmare non possũ, sed preclarè de illis existimo. Nostrorum autem in diuino cultu rituum hoc ipso in loco, paucissimis tibi rationẽ reddam, nec te diutius aut ipsum errare patiar, aut alios in errorem adducere. Primùm, quoniam fides ex auditu existit, sacrarum scripturarum doctores ad vniuersas nostræ regionis oras dimittimus, vt plebem in omnibus pietatis officijs erudiant, & ad verum dei cultum informent. Deindè publicam habemus ex sacris scripturis coagmentatam precationum formulam, authoritate Par-

lamenti

lamenti (sic enim consensum trium nostrę reipub. ordinum vocamus) corroboratã, à qua recedi non patimur, prospicientes in vtroque, quantum potuimus, vt præcepto spiritus sancti pareatur, edicentis, vt qui loquitur in ecclesia, diuinas in ea voces vsurpet, deindè communis vt omnium, & concors sit sententia. Sacramenta verò propinquissimè curamus ad pręscriptum administrari sacrarum scripturarum, & ad exemplum ecclesiæ veteris, in qua dominus noster Iesus Christus ea primum ipse cum apostolis instituit. Hæc autẽ omnia lingua nostrâte proponũtur, quoniam magna est amentia coram deo, quod nescias, effutire, pugnatq; manifestè cum saluberrima Pauli doctrina, cum omnibus priscis apostolicarum ecclesiarum exemplis. Impositionẽ manuum, coniugij celebrationẽ, puerperarum ad ecclesiam inductionem, ægrorũ visitationem, et funerum humationem, solennibus, & publicis officijs ad euangelij

verita-

veritatem compoſitis exequimur. Tantū autem ad hæc ceremoniarum infundimus, vt omnia conuenienter in eccleſijs, & ordine gerantur, ſicut in euāgelio nos admoneri cognoſcimus. Temporum, locorum, dierum, & reliquarum circunſtantiarum apud nos propè nulla eſt facta mutatio, nec in vniuerſa religione quicquam eſt noſtra nouum, quod [redacted] aut euidentem abſurditem, aut expreſſam impietatē habuit. Expoſui ritus eccleſiæ noſtrę, quam vides, nec ſacris, nec ſacramentis, nec ceremonijs denudatam eſſe, ſed in omni genere tantum eſſe reſeruatum, vt nimium nos iniurioſè ſit tractaturus, qui nihil horum apud nos remanſiſſe calumnietur, cum nihil eorum abſit, quibus ad verum dei cultum opus ſit. Iugum ſummi pontificis à nobis excuſſum dicis. Rectè tu quidem. Grauius enim erat, quàm aut nos, aut patres noſtri diutius ſuſtinere poterant, nec vllum agnoſcimus ſūmum pontificem, niſi dominum noſtrum

Iesum Christum, cui sacrę scripturę peculiarem hunc honorem assignant. Nec in eo Christi tunicam discindimus, vt tu coniectas, sed episcopi Romani pallium fortassè vellicamus, nec viam, vt tu vis, ad seditiones aperimus, sed iter occludimus, quod eius licentioso plumbo maximam ad morũ peruersitatẽ descendebat. Multas vnitates colligis, & ex illis argumentare, summam vnius potestatem interuenire debere. Nõ ita est necesse. Nam in optimis ecclesiæ tẽporibus vnus deus, vna fides, &c. tamen suam Petrus habebat prouinciam, Paulus suam, Iacobus suam, alias alij, nec tamen personarum distractio, fidei disiungebat vnitatem. Succedentibus sæculis multi fuerunt episcopi Romani martyres, & à prophanis principibus immolabantur, sed coronas, nisi martyriorum, habebãt nullas, papalem hunc extraordinarium principatum ignorabant, Gregorius etiam abominabatur. Quarè si præstantissimus ecclesiæ

status

ſtatus expers fuit huius monarchiæ, nos etiam illa facillimè carere poſſumus, imò verò debemus, non ſolũ euangelio palàm interdicente, ſed etiam ſuffragante ratione. Nec enim caput à membris tam longè cõuenienter diſſidere poteſt, præſertim cum hæc vnica poteſtas, pro qua tantoperè laboras, domi nobis in Anglia præſtò ſit, vt minimè ſit opus eam foras quærere. Regalis enim maieſtatis abſolutã habemus authoritatem, qua reipub. noſtræ principatus integrè, & expletè continetur. Sed nimirũ hoc tibi ferendum non videtur, & hoc in loco ſic incaleſcis, vt ſacrilegij crimen principibus intentes, quòd in legibus eccleſiaſticis præeſſe velint, quòd temerè res ſacras contrectent. Noli, Hieronyme, nimium conturbari, non decet tanta virum philoſophum iracundia, reſpira pauliſper, & ad te redi, rectè omnia videbis expediri. Regalis maieſtas omnibus dominatur Angliæ perſonis. Quidni? Similiter Gallus

Gallis, Scotus Scotis. Sed ad res sacras manum apponit. Minimè. Res enim politicas ciuilis magistratus exercet, ecclesiasticas administrant episcopi, si quid in rebus ecclesiasticis publicè constituendum sit, decernunt theologi, decretum regalis maiestas teneri iubet. Quid accusas? Reges Israelis proprium, & peculiarem dei populum his olim institutis gubernabant. Succedens euangelium, & potestates distinguens, primam collocat authoritatem regalem, & subter eam reliquas subijcit, authoribus Petro, & Paulo, quorum vos nominibus ad Romanæ sedis regnum abutimini. Verùm tu non solum pro sceptro papali pugnas, sed etiam pro sacrosanctis decretorum sanctionibus, vt tibi videntur, contendis, quorum interitu dei metum ex animis hominũ euanuisse iudicas. Certè deum vt timeremus, credebam diuinis literis effici, non episcoporum Romanorum decretis, & canonibus audiui locupletatos sanè

quam-

quamplurimos, ſed eruditos in vero dei timore, non multos. Verùm vt hoc tibi largiar, multos ex antiquis canonibus ſalubrem & præclaram habere morum diſciplinam, ſicut habent profectò mea quidem ſententia, quid aſſequeris? Nos & decretis vtimur, & decretalibus epiſtolis forum eccleſiaſticum exercemus, & in neutro genere quicquam reijcimus, pręter authorem, & ne illum quidem vt epiſcopū Romanum, ſed vt papam, & eccleſiæ noſtræ, caput. Nullam agnoſcimus ſupremam poteſtatem in Anglia, niſi regalem maieſtatem: ſed in externis aliorum monumentis ſi quid ad pietatē, aut virtutem amplificet, aſciſcimus vndecunq; ſit. Huius tu noſtræ cōſuetudinis ignoratione, decretorum ruinas deſles, quæ quidem omnia, quatenus ſacris ſcripturis non aduerſantur, apud nos viuunt, & vigent. Accuſas doctores noſtros, tanquam effrę̨nis cuiuſdam, & immoderatæ libertatis authores, & adiungis

 dei

dei metum illos omnem auferre, & dissolutiorem eis, ac nequiorem orationem affingis, quàm vnquã aut Epicuri fuerit, aut Diagoræ. Deindè, cum hanc ipsam nostris hominibus commentitiam personam imposueris, longo sermone ludis, & illudis vt libet. Tu verò memineris, quid summus ille tuus eloquentiæ magister olim sapientissimè scripserit, impiam esse contra deos iocandi consuetudinem, seu seriò, seu simulatè fiat. Id si natura prospicere doctrina gentilis potuit, tibi Christũ professo, contra Christũ ipsum facetijs exultare, cuiusmodi sit, etiam atq; etiã vide. Nũc ad rem venio. Cum Paulo confitemur in illa libertate consistendum, in qua Christus nos collocauit. Sed hanc spiritus libertatem ita modificamus, vt in carnis licentiam non erumpat, quemadmodum ille idem Paulus edixit. Euangelio credimus, nullum in illis exitij sempiterni periculum esse, qui in Iesu Christo sunt insiti: sed assumimus & il-

lud

lud, quod in eodem contextu est, qui non iuxta carnem versantur, sed secundum spiritum. Nolo enim longè ab ipsis sacrarum scripturarũ verbis abire, ne quicquam insyncerè videar tractare velle. Paulus post longam, & seriam disputationem concludit, arbitrari se fide nos sine legis operibus iustificari. Cõsentiendum est (nec enim euangelio derogare possumus) sed illud ex eodem pariter asciscendum, fides per charitatem operans. Hanc igitur istarum rerũ cõiunctionem si tenemus, vti profectò facimus, tu disiungere non debes, & errorem impugnare, qui præter teipsum authorem habet neminem. Inciuile est, vt verba iuris ciuilis vsurpem, arripere legis particulam, & totam ex ea causam iudicare. Noli præscindere de nostrorũ doctrina, sed integrã repete. Quod si feceris, & iustam inuenies ab illis habitam operum rationem, & eorũ reperies ad pœnitentiam grauissimas cohortationes, & te hoc in loco minimè sapienter

enter ſine aduerſario tamdiu litigauiſſe iudicabis. Nec tamen tua dicacitas vllum ſibi modum ſtatuit. Etenim admirabili quodam ſtupore noſtrorum hominum, & amentia, rationem alligatam vociferaris, libertatem arbitrij detractam, totum genus humanum adeò ſpoliatum & excæcatum, nihil vt interſit inter hominem, & lapidem, deum ab illis induci peccatorum authorẽ, omnia ſine diſcrimine confundi, & commiſceri, deniqne deum etiam illos iniuſtè punire, quos ipſe prius peruerterit. Equidem iracundia non facilè ſoleo commoueri, tamen me diutius tenere non poſſum. Non ſolum hebes, & imperita, ſed etiam blaſphema iam hæc eſt tua calumnia, quã ne lapides quidem ipſi, de quibus commemoras, ſi loqui poſſent, contra noſtros intorquerent. Sed animaduerte pauliſper ad ſacras ſcripturas, & reſipiſce. Deus pater in Chriſto nos elegit, antequam iacerentur fundamenta mundi, vt eſſemus ſancti, &

irre-

irreprehensibiles coram ipso. Diuinam electionem audis ex euangelio, quam tuus sermo tantoperè detestatur, & tempus audis, nec id affert hæc electionis necessitas, vt in omnes libidines, & nequitias effundamur, quemadmodum tu quidem impiè iocaris, sed vt sancti simus, & irreprehensibiles coram deo per charitatem, vt in expressis euangelij verbis positum est. Deus est, qui in nobis operatur, & velle, & perficere. Paulus istis verbis & voluntatem alligauit, & astrinxit facultatẽ. Quid igitur? Nihil inter nos, & lapides interest? Obtusior sit lapide, qui sic colligat. Idem enim ipse Paulus nos dei cooperarios appellat, & in timore iubet, ac tremore propriam salutem operari. Quemadmodum, inquis, cum ad deum omnia referantur? Ex Paulo tribus verbis cognosces. Omnia possum in Christo, qui me corroborat. Et Augustinus eandem sententiam alijs verbis elegantissimè conclusit: Deus in nobis ipse sua

coronat opera. Quid est? An non vndique communitam cernis authoritate sacrarum scripturarum sacrosanctam dei prouidẽtiam? Et tamen intelligis eandẽ nõ esse peccati matrem, sed alumnã omnis officij. Sed fontes ipsos adeamus, ex quibus cum mella dulcissima manent, tua tamen corruptissima mens, pestilentissimum ex illis venenum exuxit, & vt contra te certius procedatur, ex euangelio verba repetemus. Nõdum natis pueris, cum neque boni quippiã fecissent, neque mali, vt secundum electionem dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est illi, maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ais optime vir? Ecce tibi rursus electionem, & eam quidem secundum dei propositum. Ecce tempus electionis, nimirũ pueris non adhuc natis. Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud deum? Paulus abominatur, Hieronymus Osorius affirmare non dubitat,

dubitat. Dei vox eſt ad Moſen: Miſerebor, cuiuſcunque miſereor, & commiſerabor, quemcunque commiſeror. Subijcit Paulus, neque volentis eſſe, neq; currentis, ſed miſerentis dei. Pharaonis exemplum aſſumit, & cum illo concludit, deum cui vult miſereri, quem autem vult indurare. Quid nos ad hæc? Certè ſempiternam diuini numinis prouidentiam in iſtis ſacrarum ſcripturarum verbis tam manifeſtè collocatam agnoſcimus, & veneramur, & Pauli monitis vtẽtes, nos creaturas eſſe meminimus, nec cum creatore diſceptamus, in vocatione permanemus, officio fungimur, demiſſiſſimè & aſſiduè ſpiritus ſancti gratiã imploramus, reliquum infinitæ dei miſericordiæ permittimus, nec in arcanis eius myſterijs plus ſapere volumus, quàm oportet. Quid Hieronymus Oſorius? Profectò ſi ligetur humana ratio, ſi conſilij libertas eripiatur, ſi voluntas ſempiternis vinculis impediatur, ex eo ſcilicet conſe-

qui, totum hominem iudicio, & ſenſibus orbari, nihil inter ipſum & lapidem interesse, deum etiam malorum authorem constitui, nec id vllam habere rationem, vt pro illo ſcelere plectamur, quod ſponte noſtra non ſuſcepimus. Num fingo quicquam? Num muto? Num proprias voces tuas recognoſcis, partim falſas, partim impias? Nimirum tu ille ipſe ſuperbus reſponſator es, cuius faſtum acerrimè Paulus obiurgat. Tu, cum vas teſtaceũ ſis, ex luto, & argilla factũ, à figulo ſcire vis, quę ad vſum te temperauerit. Sed in tẽpore, ſi ſapis, hanc arrogantiam ſeda, ſpiritus iſtos minue, dei te creaturam eſſe memineris, quomodo ſumus omnes, dediſce tuum arbitrium, & ad dei arbitrium te ſuppliciſſimè, tuaque omnia refer, aut ſi vllam habes extraordinariam facultatem propriam, à qua prorſus diuelli non vis, illã tibi ſeparatim habe, nos ſine miſeros, & perditos peccatores omnibus humanis præſidijs, & operibus abiectis

ex dei sanctissima prouidentia totos, & eius gratuita misericordia pendêre. Tandem satis perbacchatus, aliquid incipis concludere, summam eorum faciens, quæ nostros quereris esse demolitos, & interrogas, quid in illorum locum successerit. Equidem vtrunque per partes antè demonstraui: tamẽ verbo repetam. Pro superstitioso delitescentium hypocritarum otio, necessariũ Christianæ professionis negotium, pro vagis libidinibus, honoratissima cõiugia, pro somnijs humanorum inuentorum, sacras dei patris, & domini nostri Iesu Christi scripturas, & in illis omnes thesauros Christianæ perfectionis. Vtinã hîc tuam abrupisses contumeliosissimam epistolam. Etenim te fortassè conuitiorũ non piget sine causa coaceruatorum, me profectò tædet illa recensere. Quorsum enim attinet sine argumento, sine sale, sine vlla verisimilitudine, tuos te tam procaces, tam absurdos errores in auribus regalis maiesta-

tis, atque adeò vniuersi orbis Christiani toties repetere? Verùm illud ex magistro Cicerone sumpsisti, cum semel verecundiæ fines transilieris, vt gnauiter impudens esse velis. Hoc tibi cum planè constitutum sit, tuis ego te vestigijs sequar, & quoniam quidem semel sum ingressus accusationem tuam, ad extremum vsque mea defensione persequar. Oratio tua nouo impetu in mores nostrorum incurrit, sed peccatis veteribus pugnat. Fastum illorum reprehendis, & impudentiam, deindè latrocinia, venena, conspirationes, & omnia genera flagitiorum intexis, nunquam vt plura tuus præceptor olim contra Verrem congesserit. Tandē argumentaris nostrorum dissoluta vita doctrinæ vitium coargui. Nam salutari disciplina mores humanos solere corrigi: quod quoniam absit nostris temporibus, reijci debere fructus expertem theologiā. Falsum est, quod de peruersitate nostrorū assumis, & id si verum esset, ex eo, quod tu

colligis, nunquam efficeretur. Semper zizania fuerunt in messem inspersa, semper ex vario genere semina fuerunt, partim spinis suffocata, partim æstu solis inarescentia. Prophetis opponebant se pseudoprophetæ, dominus noster Iesus Christus Caiphas inuenit, apostoli Nerones, & Decios, qui sequuti sũt martyres. Sed hæc obsoletiora. Domum te deducam. In ecclesia vestra non publicè peccatur? Non appertè delinquitur? Annuis. Tuum igitur argumentum proijce, quod aut omninò non valet, aut contra te primùm, tuamque valere debet ecclesiam. Igitur, si perfectionem absolutam vrges, & innocentiam illibatam; frustrà quæris in hac vita sine carne spiritũ. Quod si vel nostros homines cum vestris, vel cum vestra nostrorum doctrinam cõparari postulas: præstò sumus, confer quãtum libet. Interim istum intermitte petulantissimum conuitiandi morem, qui probrorum plenus est, argumentorum inanis,

qui nihil promit ex ſacris ſcripturis, nihil olet ex patribus, flumen tantum habet verborum ſanè perbonorum, ſententiarũ ſubtilitatem perexiguam. In hoc genere tua, quæ ſequitur, antitheſis eſt tibi tam vehementer elaborata. Nam ex altera parte conſtituis apoſtolos, & illorum, vt par eſt, eximiam virtutẽ, et doctrinã maximis verborũ, & ſententiarũ luminibus expinxiſti. Noſtros autem ex altera collocas, & eorũ teterrimã improbitatẽ infra omnes inferos demerſiſti. Tu verò, ſi rectè rẽ inſtituiſſes, ad aliquod aliud tempus hos eloquentiæ tuæ tam magnificos apparatus ſepoſuiſſes. Nec enim hic tibi quicquam prodeſſe poſſunt. Quanquam autem veriſſimè licet defendere, noſtrorum eandem eſſe doctrinã, quæ fuerit olim apoſtolorũ, ab eodem ſcilicet euangelio deriuatam, & etiam ſacris ſcripturis deuinci poſſit, ab ipſis apoſtolis in vita ſæpè titubatum eſſe: tamen illorũ ſingularem in vtroque præſtantiam vltra cõmunem

munem humanæ conditionis fragilitatem euolauisse confitebimur. Magistri fuerunt selectissimi, conuictorem in terris habuerunt dominum nostrum Iesum Christum, primitias spiritus sancti gustauerunt. Itaq; nomen illorum officiosissima veneratione colimus. Ad recentiora tempora descende. Vestram exhibe nobis ecclesiam, & hoc inter nos certamen sit, vtra sit apostolis ecclesia propinquior, & synceritate morum], & veritate doctrinarum. Hanc si causam recipis, statim tecum litem contestabimur, ac etiam hoc tibi amplius indulgebimus, vt antitheses ad hunc statum adhibeas, quantum voles amplificatas. Sed nihil proficio, nec à te quicquam æqui aut boni impetrare possũ. Rursus ad virus cõuitiorum reuolueris, apertè contra nostrorum exclamans euangelium, & in eo tuam expromens vniuersam maledicentiã. Tu verò tumultuare quantum potes, & vociferare quantum fauces ferent: tamen

hac importunitate tua nunquam efficies, quin verum, & antiquum, & purum à nostris euangelium omnibus annuncietur: & hoc ecclesia vestra, nisi resipuerit, olim cum certissima clade sua sentiet, cum ad tremendum Christi iudicis tribunal sistemur, & rationem fidei nostræ reddemus, non ex decretis, & decretalibus, quæ tu tã vehementer amplexaris, non ex Iulijs, & Bonifacijs, in quorũ authoritate vestri cõquiescunt: sed ex hoc ipso euangelio, quod tu tam procaciter irrides, quod à vestris tandiu sepultum, diuinitus interueniente nostrorum opera, publicè restitutũ est. Verùm quid tibi fiet misero, qui non solum nostros violas, sed etiã Hieremiæ sanctissimo dei prophetæ vim affers, ac illũ quantumuis inuitum, ac repugnantem contra nos testimonium dicere cogis. Audiamus quem citauisti diuinissimum virum, & ex eius vaticinatione quid verum sit, dijudicemus. Nolite, inquit, verba prophetarum

audire, quibus iucunda prænunciant, & decipiunt vos, visionem cordis sui loquũtur, & non de ore domini. Sic enim loquuntur his, qui me probris afficiũt: Pax erit vobis. Et ijs, qui ambulant in prauitate cordis sui dixerunt: Non eueniet vobis malum. Hîc planè triumphas, & nostros manifestè deprehensos affirmas. Ego contrà prophetã contendo, vestram ad ecclesiam ijs verbis digitum intẽdisse, nec id cur ita sit, cuiquã, qui scire velit, obscurũ esse patiar. In vestris igitur ecclesijs, hæc tranquilla pax regnat, in vestris, inquam, ecclesijs viget & exultat hæc amœnissima malorũ requies, qua sic alios consopiuistis, & ipsi estis cum illis cõsepulti, nihil vt vel ipsi malorũ impẽdêre prouideatis, vel alijs, vt præcaueant, denunciare possitis. Publicas cõciones, quas euãgeliũ tantoperè flagitat, ad fraterculos, nescio quos, delegatis, & ij etiam certis temporibus more suo declamitant, in reliquis obmutescunt. Et ferè tam prolixis vtuntur, &

tritis hortationum formulis, vt vigilantes citius ad somnum inuitent, quàm dormitantes excitent. In sacris, & sacramẽtis suauissimum otium. Nam & populi loco submouentur, & sacerdotes per se totum negotium ignota lingua conficiunt. Quemadmodum igitur plebs ad bellum se præparabit, cum tuba quis inflarit, non intelligat, vt Pauli hac ipsa in re voces vsurpem? Intremus ad missas, in quibus religionis medullam perfundi vultis. Sacerdotum est vestrorum occupatio propria, plebs nullas habet nisi contemplandi partes. Nec interim euangelium vnquam interturbat, et omnes ex eo cohortationes omninò conticescunt. Semel fortassis ad domini mensã singulis annis acceditur, magis solenni ceremonia, quàm afflicta conscientia. Nec enim id adhibetur, quod institutio domini nostri Iesu Christi requirit, vt eius in eo mors annũcietur, donec ipse veniat. Quãtuncũque vestros homines scelerum contaminet,

taminet, nullam admouetis publicam animorum medicinam, priuatim transigunt in sacerdotum auriculas immurmurantes, aut, si quid sit immanioris flagitij, plumbo redimitur. Iam ceremoniarum tam varius, tam multiplex, tam immensus apparatus: vt externa sensuũ voluptas maior vix cogitari possit, interna mentis emendatio, vel nulla sit, vel perexilis. Vestrum morem exposui. Nunc ad nostrum si placet, attende. Primùm ex euangelio conciones assiduæ, quarum authoritas aut legis terroribus peccatorum contumaciam frangit, aut magnitudine promissorum ad virtutẽ allicit. Quod si negligunt, aut non curãt aliqui, tamen magistratus illos ad sacra trahit, in quibus non hominum interpretationes auscultant, sed deum patrem, & Iesum Christum palàm percipiunt, aliquando contra vitiorum turpitudinẽ fulminantes, nonnunquam misericordiæ thesauros offerentes. Hæ publicæ recitationes, & tantã

habent psalmorum, hymnorũ, & vtriusq; legis omnium librorum varietatem, vt planè sit infœlicissimus, qui circunsonantibus vndiq; sermonibus diuinis, nihil ad se priuati fructus seuocare possit. Sequitur sacrosancta domini mensa, quæ perpetuum in festis diebus vsum habet. Euocat dei minister omnes publicè, qui quidem ad epulum tam diuinum conuenienter se præparauerint. Certi prodeunt, suppliciter in genua subsidunt, soli, & in medio templo destituti, cum tempus est, palàm in oculis, & auribus omnium, improbitatem morum pariter detestantur, & communi voce dei misericordiam exposcunt. Minister selectissimis illos affatur sacris scripturis, partim minas contra vitiorum labes vibrans, partim vberes diuinæ clementiæ fõtes reserans, vt qui mensæ participes futuri sunt, sæpè tremāt animis, & posteà rursus, spe veniæ quasi recreati, reuiuiscant. Quorum autem vel contumelia periculosum

habet exemplum, vel improbitas ſceleris indignitatem, eos anathemate ferimus, vt pudor illos, & deſtitutio rurſus ad officium reuocare poſſit. Hîc exemplo tuo liceret antitheſin inſtruere, nec mihi verba deeſſent, quibus, ſi velim, eandem perpolire queam. Deindè ex te ſciſcitarer vtra ſacrórum formula plus habeat contra malefacta ſtimulorum, & aculeorum? Vbi pax illa prophetæ ſit in peccatis? vbi ſilentium? Et ex altera parte, quænam ſit inquinatarum conſcientiarum crux? quibus verbis grauiſſimè vulnerentur? & quæ tandem illos maximè cruentet oratio? Sed nihil horum faciam, rem in medio poſui, dijudicet, qui velit. Hoc ad extremum apponam, plus in vna, quam noſtri frequentant ſacroſancta domini menſa, gemituum, & ſuſpiriorum cerni poſſe, quàm in ſexcentis veſtrorum ſolennibus miſſis. Quapropter minimè fuit opus, vt iterum ex propheta repeteres, Neminem domini conſilijs interfuiſſe, nec

eius

eius sermones quenquam aut vidisse, aut audisse. Nimirũ tuus iste fastus est, vt ante suo loco declarabam, qui planè dei consiliarius videri laborabas. Sed vestri syncera sacrarum scripturarum sententiam, an nostri teneant, si quæratur, cum nostris verisimilius est veritatem facere, qui sacris in scripturis eam continenter peruestigant. Nam vestri diuersis in opinionibus interpretum, tanquam in lubrico solo vacillantes, deuium iter suscipiunt, & in magno versantur erroris periculo. Rursùm Hieremiæ molestiam exhibes, nec venerandum prophetam respirare permittis. Eius hæc verba profers: Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissent eum profectò à via sua mala, & cogitationibus suis pessimis. Benè est. Ordiamur ab ipso Hieremia, qui fuit egregius propheta, dici secus non potest. An ille Iudæos vniuersos à vitijs deterruit? an omnes ad virtutem inflexit? Inspice totam

tam vaticinationis seriem, & lamentationũ consydera sanè lugubres querelas, dei quidem populum, dei vir facilè conciliauit. Nam oues meæ vocem meam audiunt, vt est in euangelio, reliqui prorsus obduruerunt. An non idem Paulus in Corinthijs, & Romanis expertus est? Petrus in Asiaticis ecclesijs? dominus noster Iesus Christus in magnis sępè cateruis Iudęorum, nominatim in Capernaitis? Quapropter dimitte Hierimiam, & nugari desine. Paulus plantat, Apollo rigat, deus dat incrementum, & testificante Paulo, stabit hoc semper inconcussum decretum. Nouit deus qui sint sui. Nobis quidem summa diligentia collaborandum est. Sed quicquid futurum est boni, sursùm est, & ad nos descẽdit à patre luminum. Verùm adhuc instas, & vrges nostrorum infinitam improbitatem, hoc est, conuitium vrges tuum, & tuam nimium in hac epistola tibi familiarẽ, et propriam calumniam. Etenim maxima pars

noſtrorum integerrimis viuit inſtitutis, & multas populorum cohortes ad verum dei cultũ adiũgit, & ab ijs moribus facinoroſis, quos tu cõmemoras, tam lõgè abeſt, quàm iſte ſermo tuus ab omni abeſt pudore, & modeſtia. Quod ſi vis aliquid agere videri, confer cum euangelij noſtri luce, veſtrorum temporum tenebras, & quid interſit animaduerte. Poſtremò diſtrahi nos in ſectas concludis, & conſilium à noſtris iniri, quemadmodum omnem dei religionem diſſipent. Imò ſumma cõſenſio. Si dubitas, ad Apologiã ablego, quam eccleſia noſtra tanquam cõmunem, & certam noſtrę religionis obſidẽ, palam in oculis orbis Chriſtiani collocauit. Illam, ſi potes, refelle. Sed non potes, nec ſanè poterunt vlli ex tuis, vtcunque quidam recens, quomodo potuit, oblatrauit. Interitum religionis, noſtri non machinantur, à quibus animarum immortalitas firmiſſimè creditur. Quod ſi quæ ratio ſit in orbe Chriſtiano, quam addubitare

tare putas, ad eam hanc tuam orationem transfer. Si ne sic quidem satisfacio, memineris nostros verum dei cultum, & synceram euangelij doctrinam, non solùm linguis, & libris, sed exilio, nuditate, fame, sanguine etiam, ac spiritu sanciuisse, quod nunquam fecissent, si præsentis seculi terrores illos à constantissimo tuendæ veritatis proposito dimouere potuissent. Longiùs te fateris euectum quàm statueras, certè quidem multò longiùs, quàm decuerat, præsertim in doctissimis, & solertissimis auribus regalis maiestatis, cuius acumen, & iudicium reformidasses, si quantum in illa neruorum esset, tecum ipse consyderauisses. Sacras scripturas multum lectitat, interpretes optimos inter se comparat, doctissimorum theologorum vndiq; sẽtẽtias colligit, scientia linguarũ per se ipsa excellit, ingenio est prõpto, & acri, sapientię tantum ad hæc adhibet, quantum vix est in illo sexu credibile. Denique nostrorũ ad

conciones ventitat, & sensus in his rebus habet partim legendo, partim audiẽdo tam exercitatos, vt non minus te docere possit, quàm ex te discere. Hanc tu religiosissimã ex omnibus, & eruditissimam principem laudibus corrumpi sperabas, aut verborum lenocinijs circunueniri posse cogitabas? Non est ita Hieronyme, non est, & nimium tua facilitate sunt abusi, quicunq; te nostrorum accusatorem, præsertim corã regali maiestate, subornauerunt. Sed ad conclusionem redeamus, in qua nihil, vt arbitror, vnquam concludetur. Rursus enim doctrinæ fructus refricas, illos inspici vis, religionem ab illis æstimari postulas. Quos tandem fructus ecclesia vestra tantoperè flagitat, ipsa minimè omnium fructuosa? Verùm nõ detrectabimus, geratur tuę volũtati mos. Cõparetur Anglia quomodo nũc est, euãgelij viuens institutis, cũ illa, quæ prius fuit, inquinatissimis hominũ traditiunculis deformata, scrutemur annales,

les, aut excutiamus memoriæ nostræ monumenta, regalis maiestas iudex sedeat, tẽporibus collatis sententiam ferat. Hoc si nõ accipis, disce ex me, quę sit Angliæ præsens conditio, fabulas vt infames inimicorum nostrorum posthac ab auribus repellas. Principem habemus regno præsidentem, omnibus ex partibus incomparabilem. Eius aula nullorum expers est ornamentorum, quæ vel ad regalis maiestatis honorẽ, vel ad reipublicæ salutem pertinent. Archiepiscopi, & episcopi per se concionandi munus obeunt, & ecclesiarũ omnium curã presentes suscipiunt. Nobilitas inter se valdè concors, plebs omnibus modis obsequẽtissima, sũma totius regni trãquillitas. Hæc alij fortassis aliter tibi renunciauerunt. Sed Cicero te tuus admonet, à multis multa dici, non necesse esse credi omnia. Narrant maleuoli nostri non quod verum esse sciunt, sed ipsi quod verum esse vellent, quoniam egregia fœlicitate nostri status dolẽt

illis oculi. Quapropter bono animo es, & omnis ex animo migret mœstitia, quam nostra causa suscepisse videri vis. Ah, noli vir optime tantoperè conturbari, ne te nimium afflictes. Si Lusitania benè habet, Angliæ profectò rectè est. Sed mirum non est, si vehementer laboras, quoniam necessarij vestri sumus. Equidē eam, quæcunq; est, cum regno vestro necessitudinem libenter agnoscimus, & cœlestem admodū optamus propiorem cognationem. Sed heus tu? Si tui necessarij sumus, vt ego tibi affirmanti credo, cur falsis nos criminibus cooperire pergis? Cur à nostris homines ab antiquissima, sanctissimaq; religione dicis abductos, quæ Iesu Christi sanguine sancita fuerit, & eadem ad hæc vsq; tempora permanserit, & ad aliam traductos execrabilem, & perhorrescendam? Hæc tu ita esse credis, quemadmodum à te ponuntur? Profectò nō credis. Nam in priscis, & optimis ecclesiæ temporibus, nec

papa-

papatus fuit, nec plumbeæ peccatorum redemptiones, nec purgatorij nundinationes, nec adorationes imaginum, nec vagæ diuorum visitationes, nec in missis immolationes pro viuis & mortuis, & huius consimilia. Hæc enim religionis dedecora, quibus temporibus, & per quos ad ecclesiam obrepserint, ignorare non potes, sed dissimulas, tuorum auribus inseruiens. Itaque, quantuncunque terrorum commemoratione diuinæ maiestatis, & extremi iudicij, regalis maiestatis auribus offuderis, nullã sermo tuus, licet ardentissimis verbis inflãmatus, veritatis authoritatem habere potest. Nec enim in animum maleuolum intrare potest sapientia. Tua verò quàm dira sit, & acerba maleuolentia, non solùm omnibus partibus reliquæ potest accusationis tuæ cognosci, sed in eo se nimiũ effert, cum oratione seditiosa tumultum indicis, ad saga vocas, & planè classicum ad bellum ciuile canis. Retexi vis omnem à regali maiestate,

iestate, communi reipublicæ consensu receptam religionem, & sumi vestram, facilem ad id viam esse. Vestrã enim esse maiorem multitudinem, gloriam fore sempiternam: totum enim terrarum orbem applausurum. Hæc est tua, nescio stupidior, an improbior ad regalem maiestatem exhortatio. Quid igitur, sacrosanctam euangelij doctrinam, in qua continenter, excepto sexennij turbulentissimo tempore, plus quàm annos triginta permansum est, in qua regalis maiestas suam traduxit omnem ætatem, in qua deum inuenit sibi tam propitium, in qua tranquillum regni quinquennium, & summa prosperitate florens habuit, in qua maximus omnium ordinũ consensus interuenit, in qua legum pręclarissimarum decreta sunt consequuta, verum hunc, & syncerum diui numinis cultum, vndiquaque tam diligenter à regali maiestate septum, & vallatũ, viri Lusitani vox perfringet? Epistola Hieronymi Osorij

sorij disturbabit? Hoc tu sperare poteras? Hoc illi poterãt expectare, qui tuam in his rebus operam emendicarunt? Insipienter, mihi crede, fiduciam hanc suscepisti, nec illi satis prouidè, quicunque tibi fuerunt authores, vt has partes tam duras ageres. Scribe, si libet, sexcentas Philippicarum myriades, concursent omnes inimici, & inuidi, quorum tu digitis, vt videtur, numerum tenes, deus regalem maiestatem ex aduersariorum faucibus eripiet, vt sæpè antehac eripuit, deus illam in euangelij veritate cõfirmabit, vt assiduè confirmat, & propter amplificatam ex euangelio Iesu Christi gloriam, honorem illi sempiternum concedet. Theatrum autem hoc tuum, quod pompa verborũ vsq; ad cœlos extruxisti, quantuncunq; magnificum, & resonans, tanti non cõducet, vt agnitam à se, regnoq; suo sacrarum scripturarum veritatem, à republica sua, papisticorum triumphorum respectu rursus excludat. Itaque facis tu

quidem more oratorio, quòd epilogum in fine collocas valdè flebilem, & ex intimo tuæ facultatis artificio depromptū, in quo per interpositam omnium sacrorum obtestationem, iterum, atque iterum regalem maiestatem inuocas, et adiuras, vt pestilentis nouitatis authores exterminet, ad vestrā se recipiat ecclesiam, in qua veluti chorum quendam omnium virtutum maxima sermonis elegātia collocas. Sed nimirum omnis iste labor tuus ad nihilum recidit. Quā enim tu nouitatem erroris appellas, eam regalis maiestas veritatis antiquitatem esse cognoscit, pro ea deo patri continuas suppliciter gratias agit, nec eam nisi cum vita deponere constituit, imò ne cum vita quidem, quoniam ex euangelio se Iesu Christo rationem administrati regni reddituram intelligit. Te verò vel hospitem in euangelio putat, & aduenam, si hæc eadem non noueris, aut si dissimulas, bona fide nō vti, quæ viro philosopho conuenientissima

ma ſemper eſt habita. Quapropter ô Hieronyme, mea quidem ſententia rectiſſimè facies, ſi religionis diſceptationes theologis omittens, ad philoſophorum, & oratorum te numerum aggreges, quorum tibi ſcientia magis eſt familiaris. Præclaram habes ſtyli facultatem, & quemadmodum videris, natura multum vales. Acceſſit ars, quæ naturæ bonitatem excoluit. Hæc præſidia ſtudiorum, ſi ad argumenta contuleris, quæ tibi nota ſunt, & in quibus elaboraris, vberrimam ex illis laudem conſequêris. Vidi tuum de nobilitate libellum, elegantem inprimis. Vtinam ad huiuſmodi te monumenta reſerues, quæ nullam habeant publicam offenſionem, ſed communem omnibus vtilitatem afferant. Quod ſi tuis quibuſdam te venditare vis, & in nos iterum incurras, iam antè tibi denuncio, venias vt multò, quàm nunc es, inſtructior. Quicquid enim humanitùs mihi contigerir, plurimos in Anglia reperies non ſolùm

in ecclesijs, & academijs, sed etiam in regalis maiestatis aula, qui doctrinarũ scientia, me quidem longè superiores, tecum omni ex parte sunt comparandi. Vale.

G. HADDONVS D. ROBERTO Dudleio, illustrissimo comiti Leicestriæ S. D. P.

NIhil est hîc rerum nouarum, nisi quòd aiunt à Christianis contra Turcas rem benè gestam, trucidatis Turcarum mille sexcentis, & captiuos magno consensu fateri, classem Turcicam esse vniuersam ad sexaginta triremes redactam, & Turcarũ militum à Constantinopoli profecta fuisse viginti millia, nũc superesse decem millia. Gartiam, imperatorem Hispanum, coegisse centum triremes, & aliquantò amplius, & ad triginta naues onerarias, & esse in illius exercitu, militũ viginti sex millia, præter nobiles voluntarios, & extraordinarios, qui se ad illum aggregauerunt. Insula Gartiam expectat cum his copijs,

aut

aut potius expectabat nono calendas Septembris. Nunc enim dies est præteruectus. In Hungariam irruperũt supra quadraginta millia Turcarum, & omnes illas oras vehementer perterrefaciunt, Christianorũ maxima spes est in Hadecco quodã, equitum duce, qui parum viæ cõficit, quoniam milites aqua destituuntur, tamen reliqui illo aduentante, spe se sustentant, & magnis animis contra Turcas pugnant, & fortuna tam prospera, nihil vt à Turcis detrimenti acceperint, sed potius superiores fuerint. Melitenses, de quibus priore loco dixeram, in certissima sunt expectatione maximæ victorię, si in tempore Gartias adfuerit. Dansouilus literas, ad tertium nonas Augusti Roma profectas, ad D. Wottonũ misit, quibus ista nuntiabãtur. Ego cum interessem, animo, sicut potui, collegi, vt ex me Latinè audires, quæ copiosius ab alijs ad te perscribentur Anglicè. Cur igitur ego hæc etiam? Certè non quòd opus esse

putarem, ſed primùm vt ſcires mihi potius argumentum, quàm animū ad te ſcribendi deeſſe, deindè, quoniam intellexi, te ſtudijs noſtris interdū vti: guſtū quendam Latini ſermonis etiam in hoc genere tibi ſi præberem, minimè id importunum tuis recentioribus præclariſſimis inſtitutis fore putabam, in quibus ſi permanebis, maximū ex illis ornamentum reliquis præclariſſimis laudibus tuis accedet. Vale, & me inter tuos beneuolentiſſimos numera. Sum enim, & ſemper ero. Brugis quinto calendas Septembris.

EIDEM.

ETſi ſatis mihi fuit, meum in te ſtudium, & officium, aliqua ratione teſtatum efficere: tamen Henneagius meus renūciauit, aliquid ad me literarum tuo nomine profecturū eſſe, quod audiui ſanè perlibenter. Cuius enim amo, et veneror profectò omnia, ſermo ad me illius, qualiſcunq; fuiſſet, per-

periucũdus accidiſſet, nõ oſtẽtatione gratię meæ, ſed teſtimonio tui iudicij. Spero te, quem cœpiſti, curſum in iure ciuili tenere. Nec enim quicquam pręclarius facere potes, cum ad id ſubciſiua quædam tempora ſe dabunt, quæ licet raro incurrunt, tamen cum incident, amitti non debent. Quam ad rem ex facultatula mea nonnihil attuliſſẽ, niſi valetudine fuiſſẽ occulorũ impeditus, & adhuc eſſẽ. Illos ſi recuperaro, de iuſtitia tibi pręcipiam aliquid, non iureconſultorũ more, quanquam illo etiam, ſed potius philoſophorum, qui propius hæc ad communem vſum in vita deducunt, & tanquam in domicilijs ſingularum perſonarum collocant. Interim illum Plutarchi libellum tibi valdè commendo, qui de vita virorum illuſtrium, & rebus geſtis eſt, græcum quidem ipſum, ſed ita factum latinum, vt verſio licet laudem habere non debeat, tamen ſatis poſſit intelligi. Duo quondam orbis terrarum lumina fuerunt, imperium alte-

rum

rum erat Romanum, & Gręcum alterum. Ex his propè fontibus profluxerunt, quicunque fuerunt vetustis temporibus in vllo genere virtutis, aut laudis memorabiles. Has omnes heroicas, & illustres personas, Plutarchus veluti paria quædam inter se commisit, vt singuli Romani singulis Gręcis respondeant, non solùm professione, & studio, sed etiam vniuersa natura, & conditione. Quam tu quasi picturam quandã virorum excellentissimorum si paulò attentius contemplabere, nihil illorum te fugiet, quæ maiorem in hac vita, seu laudem, seu reprehensionem habere possunt. Accidet ex summa varietate voluptas infinita, quæ tædium in audiendo non sinet obrepere. Postremò, cum imagines omnium, & effigies animo comprehenderis, sumes ex vniuersis, quem maximè placebit imitari, vel potius Zeusidis industriã in effingẽda Venere sequutus, aliquid de singulis delibans, perfectam, & absolutam omnis

præstan-

ſtantiæ, tanquam arcem in animo tuo exædificabis, in qua virtus, & gloria pariter habitare poſſint. Sed me quidem ſi conſules, Publij Scipionis Africani quàm ſimilimus eſſe voles, imò profectò iam es, nec quicquam illius ornamentorum tibi vehementer abeſt, præter commendationem bellicam, quæ licet temporibus ſit neceſſaria, tamen illa facillimè Chriſtiana reſpub. carere poteſt. Equidem ſi rurſus vnquam in Anglia conſtitero, & tibi ad id, tempus, & voluntas ſit, hunc Scipionem tibi familiariſſimum reddam, quem ego veræ nobilitatis exemplar omnibus numeris expletum, & omninò incomparabile eſſe conſtituo. Sed oculi me deficiunt, & quando tu iſta? Certè vt volueris. Mihi tamen ignoſces, qui nihil cogito ſępius, nihil opto vehementius, quàm vt tandem ad veram antiquæ nobilitatis, & eximiam præſtantiam aſpires, vt illorum ſimillimus ſis priſcorum heroum, quorum memoriam eruditiſſi-

 morum

morum virorum ſcriptis immortalitati cõſecratam eſſe vides. Vale. Brugis, quarto calendas Iulij. 1565.

EIDEM.

OFficium meum tibi tam gratũ eſſe vehementer lętor, & quoniam ita eſt, eo tantiſper vtar, donec voluntas tua feret. Facultas mea quò longius à tua prędicatione abeſt, eò ſtudium mihi tuum iucundius eſt, & eſſe debet. In quo, meo in te amori nunquam ipſe ſatiſfaciam, donec publicum aliquod monumentum palam in oculis, & auribus omnium collocarim, quo ſciri poſſit, quid à te ſeparatim, & a præclariſſima familia tua communiter acceperim. Interea quomodo poſſum, tibi & hortator, & adiutor ero, tantum vt literarum ſtudijs temporis impertias, quantum publicis, & neceſſarijs cauſis ſupererit, quod ſi tantum non erit, quantum volųeris, ſit tamen quãtum eſſe poterit. Vetuſtis Romanę reipub. tem-

temporibus opinio multorum inualuerat, quæ nimium adhuc in aulis principum insedit, disciplinarum cognitionem nobilibus viris minimè necessariam, nec illos huiusmodi rerum commentationibus illigari debere. Sed contra tam barbaram leuitatẽ, grauissimus est Ciceronis, & sapientissimus sermo: personarũ illustrium nec mutos congressus esse debere, nec rerum colloquia leuiorum, nec quicquam esse conuenientius, quàm vt prę stantię conditionis, intelligẽtia par inueniatur. Quapropter licet in studijs artiũ elaborare nõ possis, tamẽ illis ita quasi colorari debes, vt nullius omninò sis expers liberalis scientiæ, præsertim illarũ, quæ populares & sunt, & habẽtur, vt inprimis eloquẽtia est, ius ciuile, et historia. Sed in hoc genere nõ opus est vt accuratè tibi præcipiã, quoniã domi habes, vndè sumas, quod est à te profectò sapientissimè prouisum. Nec enim vllam in vniuersa re tua familiari, tam pretiosã inuenies supel-

 lectilem,

lectilem, si talis vir est, qualis ex literis ad me tuis esse videtur. Quod exemplo Neoptolemi paucis tibi philosophari placet, rectè est. Hæc enim pauca fructus ferent, vt est in eodem loco appositum. Sed Neoptolemi vita fuit, & occupata, & militaris, tuam equidem occupatissimam esse confiteor, militarem nec esse video, nec profectò fore velim. Et tamen Iulius Cæsar, qui monarcha fuit orbis terrarum, in medio bellorũ ardore, Trebatiũ in nostrã Britanniam iureconsultum deduxit, ne illud discẽdi tempus amitteret. L. Lucullus in periculosissima militia, quam contra Mithridatem suscepit, philosophum habebat perpetuũ comitem itinerum, ne studiorum cursum intermitteret. De Alexandro magno notum est, quàm assiduum sectatorem habuerit magistrũ Aristotelem. Sed hæc vetera, & externa. Domum te deducam, & quidem rectà in aulam, & illud tibi proponam exemplum, ad quod tu, sicut arbitror, quàm pro-

propinquissimè velis accedere. Regalis maiestatis occupationes infinitas vides, & tamen studia non ignoras. Equidē sæpè cū in aula versor, me suppudet mei. Quoties enim ad eam admittor, propè semper in libris est, & tamen hominū, & negotiorum omnis generis, tanti sunt vndique concursus, vt vix de literis cogitationem videatur vllam posse suscipere. Sed nimirum huius industriæ fructus amplissimos percipit, rerum omnium scientiā, de quibus cum alijs est cōmunicatura, gloriā deindè maximā, & immortalem, quòd fœmina secum tantam affert maximarum causarum intelligentiam, vt eam reliqui viri principes facilius admirari, quàm imitari possint. Quā licet omnes certatim foras in his oris vberrimè commendent, tamen eius literarum laus, et varietatis sermonum, ex ore sapientum, & consyderatarum personarum latissimè spargitur, & memorabiliter elucescit. Huius tu diuinissimæ principis, si dili-

gentiam, & assiduitatem imitabere, nõnullam etiam partem maximarum laudũ attinges. In quo, cum melius recordor, mea sanè non opus fuit, tam longa cohortatione, quoniam amorem literarum omninò habes hæreditarium. Pater enim, licet ipse ineruditus, tamen eruditorũ studiosissimus fuit. Quod etiam in eo satis apparuit, quia in meipso, cum doctrinam non posset, tamẽ vmbram doctrinæ quandam magni fecit. Deindè, frater natu maior Ioannes Varuicensis, ita disciplinarum amore fuit incensus, vt illis omnia propè alia posthaberet. Et licet facultate dissimili, tamen simili studio, & affectu, est tuus, qui nũc est Varuicensis, qui nullos libentius audire solet, quàm quos sapere plus, & intelligere putat, quàm alios. De te nihil, præsertim ad te, tãtum hoc ad extremum apponam, cum te deus longè supra communem hominum conditionem euexerit, tibi dandam esse operam, primùm vt deo, à quo sunt omnia, sup-

ſupplices & ſeruias aſſiduè, deindè, vt illam omnium rerum vndiq; ſcientiam colligas, qua principi quod debes officium, & patriæ perſoluas. Quam ad rem ego ſi quid afferre poſſim, aut potero, nihil eo vno mihi gratius vnquam eſt futurũ. Vale. Brugis, poſtridiè nonas Iulij. 1565.

Heræ meæ incolumitate nihil mihi poteſt eſſe optabilius, & ſecundũ eam, tua. Quapropter quòd de vtroque me certiorem feceris, feciſti benigniſſimè, & ego vt maximè deſyderare poteram. Rurſus vale.

G: HADDONVS PRÆSTANTISSIMO viro D. Thomæ Smitho equiti, & Legato in Gallia.

SCripſi ſecundas ad te literas ante aliquot menſes, ſed vel interciderunt in via, vel quoniam nihil habebant argumenti ſerij, fortaſſe negligebas. Ego verò ne hoc quidẽ tempore quicquam ad te noui ex noſtra republica poſſum afferre, tantũ hoc mihi pro-

propoſitum eſt, meum vt vetus ſtudium tibi priuatim repręſentem, quod licet tibi minimè obſcurum ſit, tamen diuturnitate tẽporis vel minui, vel reliqua ratione poſſet labefactari videri, niſi interueniente literarum officio renouaretur. Ego quidem eodem erga te ſum animo, quo ſemper fui, nec vllum ex noſtris prætereo, quem ſcire putem, quin illum ſtudioſiſſimè de ſalute tua ſciſciter, deindè reliqua, quomodo poſſum, exquiro, quid agas, vbi ſis, quos conuictores adhibeas, quantum tibi placeat Gallia, quantum tu Galliæ. Reſpondent optimè, & quemadmodum ego maximè optare vellem. Vnum eſt, in quo mihi minimè ſatiſfieri poteſt, quod diutius, quàm vellem, te cariturus videor. Sed quoniam mihi quod abeſt, impenditur communi patriæ, cedere bono publico facilius patior priuatum deſyderiũ. In cœna fui ſuperiore nocte cum Legato Gallico, literarum, vt fit, iniectus ſermo, citatus ad rem, neſcio

quam,

quam, Cicero. Legatus illum vt summum oratorem admittebat, sed iuris scientiam detraxit penè omnem, & philosophiæ vix mediocrem reliquit. Ego contrà iureconsultum omninò bonum, et philosophum illum prorsus eximium esse contendebam. Hæc inter nos altercatio sic incaluit, vt exitum difficillimè reperiret. Tuum vtinam hæc controuersia iudicium habere potuisset, cui non minus vni tribuo, quàm Platoni poeta nescio quis, à reliquis destitutus. Non dubito quin Osorij videris ad reginã Angliæ conuitiatricem epistolam. Occursum est à quodam nostro, quem nominare nihil attinet. Cognosces enim ex orationis filo facillimè. Tu eousque defendes, & tuebere, quousque tibi probabitur, nec in lucem proferri sines, nisi quatenus iudicio tuo satisfaciet. Hîc ad longum tempus hæsuri videmur, quoniam Londini non secus pestistitiũ est, quàm solstitium. Si nos ver, quod mox aduentabit, in hac clade depre-

hendat, ex aulicis breuî sumus aratores futuri. Scribe quæso, si nihil aliud, saltem hoc vnum, viuere te, nec Haddoni esse tui oblitum. Vale.

THOMAS SMITHVS ORNATISsimo viro Gualtero Haddono. S. D. P.

NVllas quidem certè, mi Haddone, quod sciam, abs te literas accepi, quibus non responderim. Nolo enim eiusmodi officio videri deesse, tibi vt non respondeam, amico tam suaui, & beneuolo, tuis doctissimis literis prouocatus, qui ad tot homines, non omnes forsan amicos, quasi quotidiè dem literas. Et tamen non equidem excusabo me tam affirmatè, ac præcisè, vt negem fieri posse, vt responsum à me prætermissum fuerit, subitaneis fortè negotijs, & tam implicatis occupato, vt ante tabellarij digressum non vacauerit scribere, maximè si post eius etiam abitum, alijs, atque alijs opprimentibus me occupationibus, interceptus tan-

tantiſper ſim, quoad prorſus tuarum literarum fuerim oblitus. De me quod tam ſedulò quæras, habeo gratiam. At ego â te deſydero literas nouarum rerum plenas, quid communes amici noſtri agant: ecquos illorum peſtis, aut morbus alius abſumpſit: quos ſingularis eruditionis nouos homines, fama claros, nūc habet Cantabrigia noſtra, aut Oxonium. Scis enim illam ſegetem identidem creſcere, & perire. Quid opinionis habent amici noſtri cōmunes, qui rebus agendis præſunt, de noſtra legatione. Quid in actis noſtris audis placuiſſe, quid diſplicuiſſe. Difficillimum enim eſt, agenti publicas res, ita vno, & cōtinenti tenore comparare ſuas actiones, vt illi perpetuò applaudatur, errata verò ſua recognoſcere, ei, qui ſe corrigere, & velit, & poſſit. Vtiliſſimum eſt, nec ingratum quidem, ſi ab illo proficiſcatur admonitio, qui propter errorem admiſſum, aut iactatum, doleat tanquam amicus, non lætetur,

nec falsò imputet, vt maliciosus, aut inuidus. Quod quidem cum in alijs omnibus vtilitatem, et fructum magnum habet, tum inprimis grandem adfert commoditatem, cum is admoneat, qui & authoritate valeat propter opinionem amoris, & docere possit, quomodo queat corrigi quod reprehendatur, si suaui, blandoq; sermone quasi dolens, non acerbè, & accusatoriè tanquã insultans, id faciat. Quæris qui sunt mei conuictores. Aliquando quidem cõuictores habeo Petrum Ramum, philosophum non ignobilem, Ludouicum regium, historicum item nec infacundum, nec imperitum, & alium astronomum. Primum, & tertium prælectores regios. Sed hos rarissimè, quot mẽsibus fortasse semel, iterumue, ideò, quod nec illa tempora sunt, vt me audeant familiarius colere, bello etiãnum inter principes promulgato, nec illud otiũ mihi datur, quòd eos vacet sæpius inuitare. Cõuictrices autem assiduas habeo, sollicitudi-

tudinem, curam, iacturam rei familiaris in Anglia, impensas maiores, quàm perferre possim in Gallia, disceptationes dubias, æmulationes hîc, existimationes isthîc varias. Quid quæris, mi Haddone? Ecquid placent mei conuictores, conuictricesque? At anno quasi toto proximo alios habui cõuictores, partim vicinos, partim familiares, pestem, bellũ intestinum regionis, famem. Cætera paululùm emolliuerunt, prima vt intelligo ad nos concessit, alterum nunc dormit, & soporatur. Tertia, si pro fame, caritatem annonę ponas, etiam hodiè apud nos magis viget, valetque. Et cum his omnibus monstris, conuictoribus, cõuictricibusque viuo, ac valeo. Sic superis placuit. Vtcũq; se res habeat, illo me cõsolor, quòd omnia mea mecũ portabo. Hæc verò sunt quæ tangunt propius, mi Haddone, q̃ Cicero, vtrũ fuerit iureconsultus, nec ne. De qua re si quis hodiè iureconsultus dubitarit, quoniam sunt vt plurimũ ætatis, et tem-

porum ignorantissimi homines, non mirabor. Fuit autem Cicero sui temporis inter eos, qui ius ciuile non profitebantur, iureconsultissimus, id quod non solum multæ suæ actiones, orationesq́; monstrant: sed & Topica ad Trebatium, & tantum sibi profecisse visus est, vt si stomachum sibi facerent, triduo proximo ius ciuile se professurum iactauerit. At nec Accursiũ, nec Bartholum, nec Baldum, nec Iasonem vidit. Sed nec digesta, codicemue Iustiniani. Nõdum enim erant. Sed ius illius temporis ita perdidicit, vt ni orator esse maluisset, iuris fuisset habitus consultissimus. Si iureconsultus eum philosophum esse pernegauerit, facilè respondebitur ei, quod Apelles sutori, ne vltra crepidam suum iudicium faciat. Si philosophus, vt ex philosophia ipse quæ Cicero scripsit, siue de deo, siue de diuinatione, siue de his quæ in alijs suis philosophicis pertractata sunt, dissoluat, nõ dico, vt nũc sunt, nam causabitur corpus forsan,

ſan, & eloquentiæ ſplendorem: ſed dico ego, detracto corpore, & tumore, quē è facultate ſua mutuatus eſt, & reſpondeat ad eadem nudata, & è neruis dialecticæ tantummodo conſtricta, atque in vtramuis partem. Hoc ſi irrideat, & facilè eſſe putet, hanc ego mihi ante alia demandatam prouinciam depoſcere velim, vt ſic tuū Ciceronem defendā, & non dubito declaraturum, plus hunc talem philoſophum arrogantiæ, quàm ſapientiæ tenere. Vale, & Haddonam tuam quæſo ex me ſaluta, cui ſi non reſcripſi gratias infinitas pro ſubſcriptione ſua, debeo. Tuum, quem diſſimulas, librum videre cupio. Lutetiæ. xxix. Decemb. 1562.

G. HADDONVS PRÆSTANTISSIMO viro D. Thomæ Smitho equiti, & legato in Gallia.

QVanquam vſura mihi nunquā placuit, præſtantiſſime Smithe, tamen cumulari me tuarum literarum grandibus, et multipli-

tiplicibus vſuris vehementer lætor, nec de ſilentio tuo poſthac conquerar. Binis enim tuis literis tam fructuoſum, & luculentum fœnus accepi, vix vt ſexcentæ ſortes meæ parem æſtimationem habere poſſint. Itaq; mecum ipſe, quomodo poſſum, rationē ineo, quemadmodum plenius de noſtris ad te rebus perſcribam, & in eo tu mihi præclarus adiutor es, qui ponis ferè in percontando ſingula, de quibus à me cognoſcere vis. Et tamen ne ſic quidem ſatiſfacere poſſum, vel inſita quadam, quam tu minimè ignoras, mea negligentia, vel temporum tenebris, quoniam peſtis latè ſerpens vbiq; ſilentium affert, & ſolitudinem, nec tamen hæc clades quenquam confecit magni nominis, aut quem tibi notum eſſe putem, niſi fortè meum noras Thomam A. Euclionem illum prædiuitem, cui nec aula defuit, nec aurum. Strophilus quidem viuo defuit, mortuo tamen supereſt, qui, & aulam eruit, et erutam breui totam abligurriet.

riet. Academias intrauit pestis, sed damni dedit, quod sciam, nihil. Equidē ex illis literarum nostrarum incunabulis minus cōmemorare possum, quàm vellem. Conticescunt omnes extraordinariæ cohortationes, & institutiones, quæ nostris temporibus vndique personabant. Quarè si tuis illis, quos nominas, quantum velles conuictoribus frui possis, equidem non multò minus in hoc genere tibi suppeditaret Gallia, quàm ex vtrisque potest academijs nostris promi. Postulas à me quantum communibus amicis in legatione tua satisfacias. Equidem horum interiorum consiliorum scis quàm sim insolens, tamē qui meo iudicio sunt ex nostris intelligentissimi, plurimum & sapientiæ tuæ tribuunt, & moderationi, præsertim Cecilius meus, imò noster, qui semper honorificam, & peramicam tui mentionem facit. Catonem Cicero corrigere non poterat, sicut ipse fatetur, leuiter emendare poterat, & conformare.

Smithum Haddonus nec corrigere poteſt, nec emendare quidem, imò tibi vehementer author eſt, vt te ipſe in conſilium adhibeas, tecum ipſe cauſas pertractes, nec rumuſculorũ ventis, aut procellis incidentiũ aliquando terrorum, ab illis inſtitutis deducare, quibus rempub. rectè credis adminiſtrari poſſe. Sit Flaminius qui velit, te Q. Fabium, & eſſe velim, & fore ſpero. Terentius Varro per omnes reſpub. volitat, ſed Pauli Æmilij fœliciſſima celebratur memoria, etiam in funere infœliciſſimo. Nec enim nobis quicquam præter culpam præſtandum eſt, & quæ ſapienter prouiſa ſunt, iuſtam laudẽ habere debent vtcunq; caſus illa peruerterit. Extremũ eſt vt Ennianum illud tibi ſæpè redeat in memoriam: Non ponebat enim rumores ante ſalutẽ. Nec enim animus in publicis cauſis conſiſtere poteſt, aut cohærere conſilium, niſi conſtantia factorum adhibeatur. Quanquam in eo durior eſt tua conditio, qui legationis

gationis ab aliȷs leges accipis, & ex præſcripto remp. procuras, tamē vt licet te ipſe interpone, nec ſubtice, ſi quid eſſe vides, quo nos putas adiuuari poſſe. Funeſtas autem conuictrices prorſus extermina, nam aciē ingeniȷ præſtringunt, nec quicquā afferunt aliud, niſi ſubitas corporis, & animi ruinas. Neque verò tuam vel prudentiam, vel doctrinam, vel vſum decet, hominum offenſionibus, vel iracundia, vel errore nimium conturbari. Tales enim fluctus ſtudiorum, & cogitationum ęſtus, in communi vita ſēper fuerunt, et erunt ad extremum. In quibus ſi ratione procedimus, et ordine quantum poſſumus, rectè factorum conſcientia ſuſtentabimur, nec temerariȷ fortunæ flatus mentem in ſapientia fundatam commouebunt. Itaque tandem vir es, & exemplo Biantis te ipſe recolligis. In quo neruos tuos valdè probo. Quorſùm enim illæ præclaræ Smithi mei de patientia, de fortitudine, de omni animi laude conciones?

An in ſola ſcholarum vmbra deliteſcunt? An Cantabrigiæ parietibus tectè cõcludũtur? An foras ſe non poſſunt efferre? An in ſolem, & puluerẽ produci nolunt? An nõ etiam in Galliam ſi opus erit te comitabuntur? Ego verò nõ magni facerem has artes, quibus te ſcio eſſe inſtructiſſimum, niſi nũc præſtò ſint, cum maximè illis eſt opus, nec te ſapere quicquam exiſtimem, ſi in his tuis difficilimis temporibus tibi ipſe abſis, cum maximè adeſſe debes. Defenſio Ciceronis tua perplacuit, quoniam mea licet prius eadem eſſet opinio, tamen authoritas me tui iudicij planè cõfirmauit. Vxor mea nouum mihi Gualterum Haddonum ſubſtituit, vt nunc quid veteri fiat, minimè curandum ſit. Reſponſum meum ad Oſorium, ſi me amas, pondera diligenter, ne quid in eo ſecùs ſit, quàm par eſt. Archetypus eſt iracundior, ſed aculeos expunxi, reſeruans in aliam diſceptationem, ſi opus erit. Vale. Ex aula quarto nonas Ianuarij.

Eidem.

EIDEM.

INfœlicitate mea, non obliuione tua factum est, vt iamdiu nihil à te literarum acciperem. Nam D. Secretarius communis noster amicus mihi renunciauit, literas & tuas, & suas à se transmissas ad me, cum in ora Norfolciensi peregrinarer. Sed omnia in via interciderunt, nec ad me syllaba quidem vlla peruenit. Multum tibi respõsum debet Osorianum, & in eo sanè plusquam vellem, quòd impensis tuis, vt audio, prælis commissum est. Vnum abfuit, quod ego vehementer requirebam, vt Osorius apponeretur, sed alij secus iudicãt, qui plus sapiunt. Itaque facilè mihi ab illis patior satisfieri. Tempestas Halisiana multo remissior est, quàm fuit, sed adhuc planè non cõquieuit. Tu syrtes omnes, & scopulos Gallicos, vt spero, præteruectus, in tranquillo mari tutum, & iucundum cursum tenes, tamen Angliam tuam albis rupibus ad lit-

tora prominentem fortaſſis aliquando deſyderas, vt Ithacam olim ſuam Vlyſſes ſuſpenſam in ſaxis aſperis. Richardus Sackuillus hoc ipſo tempore valdè trepidat, & tumultuatur in excipienda regina ſuis in Londinenſibus ædibus, quas tu cum vix lateritias reliqueris, in reditu pluſquam marmoreas inuenies. Cras aiunt ad Cecilianam domũ profecturam, et eius filiolam recèns natam baptiſmo conſecraturam. Peſtem deus ex vrbe ſummouit, & tranſtulit rus, vt ad omnes delictorum pœna perueniat. Vtinam ſimiliter omnes velint reſipiſcere. Nihil eſt aliud, quod ſciã, ſcriptione dignum, vix quidem ipſa iſta, ſed magnus amor meus parua cauſa contentus eſt tecum colloquendi. Domeſticum tuũ, nuncium hunc meum, vt potui, reginæ cõmendaui, ſed profeci parum. Reiecta petitio fuit in alia tempora, mihi voluntas non deerit illum adiuuandi. Collega qui tuus fuit, aut anteceſſor, aut alio quocunq; nomine

mine, multum in aula nobiscum est, et post tot procellas otio perfruitur, vt arbitror nō illibenter. Tu perge magno, & inuicto animo, & te ipse ad laborem vrge pro patria suscipiendum, & illud vetus firmiter tene: Nihil ab homine sapiente præter culpam esse præstandum. Petrus Ramus, vt audio, me suo nomine salutari voluit. Si ita est, aut quomodocunque est, illum respectu literarum diligo, præsertim si magistris pareat Ciceroni, & Aristoteli, cæterosq; scientiarum tibi notos professores. Nec enim arbitror penè vllam inter homines maiorem esse, quàm communium studiorum coniūctionem. Vides quàm ægrè abs te diuellar, & tamen oculis sum multò deterioribus, quàm vellem. Vale. Nonis Iulij. 1564. Londini.

THOMAS SMITHVS ORNATISsimo viro Gualtero Haddono. S. D. P.

TAnti te facio, mi Haddone, vt nunquam de te cogitē (cogito autem sępius, quàm

tu

tu putas) quin admirer tantillum honoris tibi, qui infinities tantum mereris, homini literato dari. Tanti tuas literas facio, vt mihi propemodum esse videar in Anglia tantisper dum eas lego. Et putabam quidem certè naufragium tantùm in mari fieri. Nunc audio inter Londinum, & Norfolciam syrtes esse, qui literas non modo meas, sed etiā D. Secretarij possint absorbere. Ita nihil est, vt video, nec in mari, nec in terra tutum. Parum autem est iacturæ in meis literis amittendis, nisi quod officium non fecerint suū in te salutādo. Et hanc quidem culpam Norfolcienses latrones pręstabūt. Quo enim alio nomine tabellarios hos, perditores literarum, appellem? Me video fœliciorem, qui tuas per tot maris, & terræ spacia transmissas acceperim, scriptas nonis Iulij. 1564. datas mihi. 13. Septemb. Tempestatem Halisianam remissiorē fieri gaudeo. Vtinā conquiesceret penitus, vt Londini pestis. Ita enim homo sum, vexari nolim

lim quenquã, quietos esse cuperem, si fieri possit, omnes mortales, & liberè philosophari, qui velint, cæteros suam quenque rem agere. At hi philosophati sunt nimiũ, dicis. Credo equidem. Puto tamen quòd egerint curiositatis potius, quàm malitię vitio fecisse. Sed de tota illa re nihil certi scio, nisi quòd obscurè de vexatione, & varia relegatione certorum non obscurorum hominum, & ob librum, nescio quem, ab eo perscriptum, ab illis lectum, audiuerim. Quod quale sit nescio. Tantùm video periculosum esse, in rebus arcanis principũ, & regnorũ, nimis velle sapere. Pestis, quæ Londini desijt sęuire, Lugdunum non vexauit modò, sed quasi exhausit, & desertũ reddidit. Inuasit & Viennam Allobrogũ, & Valentiam, & hactenus vt odiosa, & malè grata comes, aulam hanc sequuta est, quacunque locorum diuertit. Nunc illam frigus hoc brumale, & algidus boreas refrigerauit aliquantulum, et, vt spero, tandẽ

effugabit. Regnum hoc aliàs quietum est, & ab anni exacti malis incipit respirare. Belli autem, & præsertim intestini, reliquię sunt, vt scis, pestis, & annonæ caritas, &, si princeps nō valdè benè prouideat, copia sicariorū, & latronum. De terræ motu circa Nicęam in finibus prouincię Narbonēsis, & Sabaudiæ, credo te audiuisse. Princeps hîc, & senatus regius, occupatus est in corroganda pecunia, ad dissoluendum æs alienum, quod in bellis anteactis cōflatum est, & in componendis partium malè cohærētium animis. Hispanorum rex Mauris arcem vnam abstulit, &, vt fertur, ex victoria classem Corsicam emisit ad edomandum Sanpietrocorsum, et cęteros rebelles, & insulā Genuensibus, quæ propemodum fuit amissa, restituendā. Vos, vt audio, in Anglia nihil nisi genio, & venationibus indulgetis. Cętera nō magni facio. Volui autem Cantabrigiensibus disputationibus interfuisse, & reginam spectatricem, & specimi-

na nostratium ingeniorum vidisse, totque nouos insolitæ faciei magistros. Benè vale, charissime Haddone, & Haddonæ tuæ ex me quàm officiosissimè salutem dicito. Auenionę, primo Octobris. 1564.

G. HADDONVS PRÆSTANTISSIMO viro D. Thomæ Smitho equiti, & legato in Gallia. S. D. P.

FAcis peramicè, quòd tam frequenter, & honorificè de me cogitas, & humanitati tuæ mea beneuolentia respondet, & semper respondebit. Valdè lætor tam pretiosas tibi literas meas videri, cuius ego solo iudicio reliquorum opiniones facilimè possum cõtemnere. De respõso meo quid sentires, scire cupiebã. Sed quoniã tegis tã diligẽter, posthac non exquirã. Equidem istis literarum vel interceptoribus, vel occultoribus admodum irascor. Nam illorũ aut fraus, aut negligentia sæpè necessitudines amicorum valdè peruertit, & hoc ipsum est homini officioso peracerbũ, de peregrinantis,

aut absentis amici statu, & salute non posse cognoscere. Halisianum negotium, nescio quomodo, lentū est, & adhuc magnas habet offensionis reliquias, et tamen D. Ioannes Graius, qui dignitate fuit, & natura caput, subita vi febris irruentis est absorptus. Itaque reliqua fortassè posthac molliora. Tuus autē sensus de cōmuni quiete sic cum meo cōspirat, nihil vt esse possit similius. Vtinā illi, quos in rep. pręficit deus, huiusmodi suscipiāt pacis, & cōcordię cogitationes, et, quemadmodum spero, suscipient. Certè quidem nihil possūt facere diuinius. Pestis, aliquo grassante diro sydere, per omnes christianas nationes peruagata est, nunquam fuit mea memoria tam communis huius mali contagio. Quanquā illud accidit in hoc genere mirabiliter, quòd aulam vestram afflat tam audacter, et sępè. Sed ita morata res est, irrumpit ad omnia, nullo vel personarum, vel temporum, vel locorum respectu. Benè est, quòd hanc calamitatem

hyberna

hyberna frigora mitigauerunt. Reliquos illos belli ciuilis funestos comites agnosco. Spero nos, & nostris, & aliorum exemplis posse condocefieri. Terræ motus Nicęanus multò terribilior ad nos allatus est, quàm reuera fuit. Montes, & valles, fluuios, & ciuitates narrabant infra omnes inferos demersos. Sed ita mos est in dissipandis rumoribus. Vix fieri potest, vt tam graues, et tam capitales Gallorum vestrorũ intestinæ dissensiones adhuc placentur, præsertim cum ad sanguinem, & cędem exarserint. Arbitror ad perfectam medicinam longinquitate multorum annorum opus esse. Princeps rectè prouidet, quòd nũmulos cõquirit, quibus & metui potest, & amari. Nostra sunt alia quædam instituta, tibi, quemadmodum video, nõ ignota. Si Cantabrigiæ fuisses, herbam, & florẽ vidisses. Sed à maturitate adhuc aliquantũ absunt. Vnus erat Huttonus theologorũ axiomatum defensor, qui mihi vehementer

ter ſatiſfecit, vſque eò, vix vt aliquid audiuerim melius. In nouis magiſtris ex nobilitate delectis, quid academia ſpectauerit, cognoſcis, quid ſucceſſurum ſit, ſciri non poteſt. Ego minutiſſimis, atq; adeò mendiciſſimis in cauſis ita conteror, vt cum nihil ab illis otij ſuperſit, nihil tamen penè ſit in illis negotij. Sed quoniam ita deo viſum eſt, & principi, ſum eo contentus quod eſt, nec aliquid conſector amplius, aut altius. Ciceronem adhibeo, Romanamq; familiariorem habeo, quàm præſentem remp. quàm rectè neſcio, minimè ſanè illibenter, vt ſtatus rerum mearum eſt. Haddona mea te valdè diligit, & ſalutat, & magnas tibi gratias agit, quòd ſui mentionē feceris. Vale. Londini, domi meæ pridie calendas Decembris.

THOMAS SMITHVS ORNATISſimo viro Gualtero Haddono. S. D. P.

QVod literis tuis, quas Barlous meus attulit, haud reſponderim, non negotijs meis

meis imputabis, quantumuis erant grãdia, ſed valetudini meæ. Conflictabar enim illo tempore cum febre lenta, tabifica, moleſtiſſima. Et me metus tamen magis angebat quartanæ, quam præſentis mali ſenſus. Nolebam quidem certè ad te ſcribere animo tam vexato. Poſt Barloi diſceſſũ, quaſi ſi inducię inter nos eſſent ruptæ, morbus me inuaſit acrius, ac ſæuius. Iam de ſalute cœpi deſperare: cum ſubitò reſidere cœpit vis mali, & ſe remittere. Acceſſit vnà cum valetudine meliore quietior animus, et cœlum etiam ipſum per ſe miteſcens, me iam omnis gaudij oblitum cœpit exhilarare. Credo ego mœſtitiam, & tędium illud vitæ, quæ me dies, noctesq; dilaniabat, in ſanguine, & venis delituiſſe. Nam percuſſa vena, vno plus minus die, & animo, & corpore conualeſcere me ſenſi. Die proximo vt aere fruerer liberiore, ac lætiore, lepores venabar fauente Delia, quod genus exercitij continuaui ad aliquot dies. A primo

Martij

Martij ad.xij. eiuſdem . xix. lepores canes noſtri ceperunt. Iam me videns confirmata valetudine, Tholoſam reuerſus ſum. Vndè rex .xviij.huius menſis diſceſſit Burdegalam verſus, quem quia conſectari oportet,hæc in itinere ſcripſi.Si de te, & frequenter,& honorificè mentionem non facerem,exiſtimari quidem debeam , vel me ipſo iudice, & amicitiæ noſtræ, & officij mei valdè eſſe oblitus.Literis tuis,mihi crede,nihil iucũdius videtur. Sed quia rogitas, quid de reſponſo tuo ad Oſorij criminationes iudicẽ, vno verbo reſpõdebo,nihil eſſe quod à te proficiſcatur, quod nõ mihi verbis Latinum,ſermone terſum,& ſententijs videatur graue.Hoc vnum in illo non probabã opere . Cum nimium impari videris aduerſario conflictari, qui nihil præter nudam Ciceronis imitationem adferat,rem ipſã, de qua agit, ignorat . Id quod tu ſũma cum modeſtia, & minimè dentatis verbis, tamen quaſi indice commonſtras.Iudiciũ,

ſenten-

sententiamque de tuo libro meam iam pridem ad prætorem Galliæ, quem cancellarium vocant, dedi, cuius literarum exemplar, ante aliquot menses ad D. Secretariũ trãsmisi. Pestis hîc iam perfrixit prorsus, & ciuiles dissensiones consopitæ vidẽtur, quiescunt saltem ad tempus. Dolet mihi quòd Cantabrigiæ non fuerim. Magnam enim voluptatem cepissem in illis audiendis, & fortassis agnoscerem in me veteris vestigia flammę. Sed de tota re tuo confido iudicio, & gratulor illi academię, quòd talem Huttonum habet, qualẽ describis. Tu cum Cicerone tuo te oblectas, & Romanam habes rempublicam familiariorem ais, quàm nostram. Quæris quid agam ego? Non sanè sum otiosus, tantisper dum esse otioso à legationis negotijs liceat. Et quia nostram rempublicam absens desydero, de eadem tres libros hîc Tholosæ conscripsi, quibus titulum feci de republica Anglorum, in quibus totam ferè formam eius explicui,

presertim in illis rebus, vbi à cæteris differt. Differt autem ferè in omnibus, ita vt opus longius progressum sit, quàm putabam. Scripsi autem sermone nostrati, stylo inter historicum, & philosophicum medio, ad eam formam, qua scripsisse coniectabam Aristotelem de multis Græciæ rebuspublicis, qui libri nunc exciderunt. Prebui argumentum vberrimum illis, qui disputare philosophico more de singulis quæstionibus volūt, & problemata facere, æquumne an iniquum sit, & vtrū sit melius, id quod isthîc teneatur in Anglia pro lege, an quod hîc, & in illis prouincijs, quæ Romano iure reguntur. Nam diuersa sunt ferè omnia, & ego crassè, & in summa vtrunque explicui. Quin ad me mittas librum, ais? Percupio videre quid sit quod egeris. Iacent adhuc in meorum aduersariorum lituris, vbi in mundum, & codicem sunt perscripta, mittam ad te. Namque tu solebas nostras (vt ille ait) esse aliquid putare nugas. Dices qui-

quidem certè, vt puto, cum perlegeris, me non incuriosè versatum in repub. nostrati. Sed necesse est in hoc commentario hiulcos esse, et lacunatos nonnullos locos, quòd nostrarum legum ne vnum quidem librũ mecum attuli, hîc nec habebam iureconsultos, quos consulerem. Itaq; tantum scripsi, quantum pro tempore memoria rerũ à me visarum, aut lectarum suggessit. Quæ sunt imperfecta, domum reuersus per otiũ potero supplere. Benè vale, & me, vt facis, ama, & amantissimæ tuæ Haddonæ quàm officiosissimè ex me salutem dicito. Burdegalæ, vj. die Aprilis. 1565.

Quid autem agit Aschamus tuus, item ac meus? An ipse otiatur solus, & eius musæ silent? Credo verò gallos suos ita illum excantasse, vt amicorum suorum prorsum sit oblitus. Iam biennium, & sex sunt menses, cum nihil ex eo audiuerim. At enim tu ad eum non scripsisti, inquis. Vter ad al-

terum siluistis. Quid igitur illum accusas? Quasi verò tantum sit laboris illi vni è tam multis ad me scribere, quantum mihi vni ac soli, ad tam multos rescribere. Aut perindè sit illi in Gallia scire quid rerum geratur, vbi nunquam fuit, atque mihi ex Anglia rescire quid fiat, vbi non solum omnes mei pariter amici, & inimici sunt, sed quicquid adeò fit mearum fortunarum. Excitato tu, quęso, illũ, si in tanta gallorum copia etiamnum dormiat. Nam mihi nunc Galli mei non tantum facessunt negotij, neque tam molesti sunt, quàm initio fuerunt. Iterum vale, & illi quæso ex me plurimam salutem dicito.

G. HADDONVS PRÆSTANTISSIMO viro D. Thomæ Smitho equiti, & legato in Gallia. S. D. P.

TAndem tuas accepi, diu desyderatas literas, et quoniam erant pleniores, quàm expectabam, plus illis delectabar. Nam ex tuis literis longissimas quasque semper optimas

timas esse statuo, sicut ille, nescio quis, de Ciceronis respondit epistolis. Quãuis autem aliam potius optauissem intermissionis tuæ causam fuisse, quàm eam, quæ fuit, præsertim si tantum apportauit anxietatis, & periculi, quantum ego tibi affirmanti, & experto credere debeo. Meum quoq́ue cerebrum melancholici quidam spiritus obstupefecerunt, sed illos maxima ex parte dissipatos esse confido. Deliam tibi propitiã fuisse satis credibile est, cum sis alumnus Apollinis, sed tantum esse tibi requietis, & otij, nescio, mirer ne magis, an læter, an inuideam. Quod in itineris labore, & strepitu tibi non exciderim, abundantia quadam beneuolentiæ tuæ factum est, quæ mihi nunquam ex animo est exitura. Ex eodem studio tuus ille mearum literarum amor existit, in quibus vtinã aliquid tuo iudicio dignũ apparere possit. Ignosce mihi quòd nonnihil ambitiosius, quàm pudor meus fert, tuam de Osoriano responso sententiã

requiſierim. Erat enim aliquid arcani, quod me permouebat, vt id curioſius expiſcarer, quàm ſolebã, aut quàm opus erat. Nunc in reſponſo tuo prorſus acquieſco, magnasq́; tibi gratias ago, quòd rei tam minutę beneuolentiſſimũ teſtimonium dederis. Deflagrauiſſe peſtem, & extinctam eſſe, tibi primùm gratulor, deindè etiam Galliæ, cuius planè fœlicitatem admirabor, ſi perfectam inter ſe concordiam in tam breui tempore recuperare poſſunt. Tuos de republica noſtra libros multùm aueo videre, quoniam non dubito quin in illis, vt ſoles, elaboraueris, & argumentum eſt præclariſſimum, quod omnino talem, & authorem, & artificem poſtulet, qualis tu es. Sed profectò latinè ſcribi debuerat, vt alias reſpublicas habere poſſemus, teſtes noſtrorum inſtitutorum. Quæſo fac vt eos, quantũ potes, huc ableges. Hîc enim cum hominibus litigo, quos ego ſimplices, & apertos exiſtimabã, ſed vafros, & captioſos inuenio, qui ſyllabarum

barum apices aucupantur, & finem iuris constituunt quæstum proprium. Nihil est, quemadmodum quidem adhuc res eunt, concordia nostra desperatius. Quapropter in libris tuis, cum venerint, tanquam in opportuno quodam diuersorio respirans, valdè recreabor. Nec enim quicquam hîc occurrit, quod magnoperè dignum lectione esse possit. Aschamus noster non dormit, sed tam altè stertit, vt vix expergefieri posse credam, si quis ad aurem illi inclamauerit. Nam ne ego quidem, cum minimo interuallo absim, literam ab eo vllam. Sed est credo aliquid, quo impeditus est. Scio illũ vtriusque nostrûm esse studiosissimum, & audio ipsum hoc tempore litibus iuris permolestè exerceri. Admonebo tamen, quoniam ita vis, & etiam increpabo. Deus nos in Angliam saluos deducat, vt ibi tecum in specula tua more meo philosophari possim. Mihi quidem nihil eo gratius accidere potest, & Cincinnatum, aratorem, semper

ſortunatiorem iudicaui, quàm dictatorem, et tu, ſi tuo poſſis arbitratu viuere, fortaſſis otium Laertis potius, quàm Vlyſſis negotium eligeres. Sed nimirum Plato te non ſinit tuus, nec meus me Cicero, qui patriæ nos ſeruire volunt, et illi reddi omnia, vndè vniuerſa prius accepta ſunt. Vale. Brugis, poſtridie calendas Iunij.

THOMAS SMITHVS AMPLISſimo Galliæ Prætori. S. D. P.

MAlui de iſta re ad tuam amplitudinem, quàm aut regem, aut reginam ſcribere, perhonorande vir, quòd iamdudum ex omnibus noſtris actionibus, & eruditio tua, & animi candor mihi perſpectus eſſe videatur. Et ſi ad principem ſcripſiſſem, non dubitaui fore, quin tota res ad te referatur, quæ concertationem quandam inter duos eruditos contineat, nihil prorſus ad ſtatum huius regni pertinentem. Scripſit epiſtolam, tanquam ad reginam Angliæ, meam dominam, Hieronymus Oſorius,

quæ

quæ vulgata typis per totam Galliam non Latina modò, qua lingua fuit edita, verũ etiam Gallicè traducta legitur. In hac nostros mores, leges, ac religionem traducit, non pro rei veritate, & quomodo sunt, sed pro captu suo, & vt ignorantes nostrarum rerũ homines, ad inuidiam nostrã ei forsan affinxerunt. Lusitanus, non infacũdus quidem certè, exercere in hoc argumento suũ stylum videtur voluisse, & experiri quid haberet virium in declamando de rebus theologicis, & sacris. Qui si se continuisset intra limites suos, & in vmbra sui musæi, non sibi fuisset fortassis inutilis hic labor. Nunc dum se vltrò iactat, & in lucẽ venire publicam, ac se populo in hoc argumẽto nouo, & sibi inusitato venditare vult: quid aliud facit, quàm vt omnibus palam faciat, quàm non solum institutionum, morũ, & ceremoniarum, quibus hodiè vtimur in Anglia, sit ignarus, verùm etiam quàm nihil sciat earum controuersiarum, & quę-

 stionum,

ſtionum, quæ nunc vniuerſum exagitent orbem Chriſtianum, & ad quas intelligẽdas, omniũ propè animi ſunt erecti: Gualterus Haddonus reginæ meæ à ſupplicum libellis, amicus meus, non literis magis, & eloquẽtia, quàm candore animi, tam mihi, quàm omnibus, qui eum norunt charus, ad Oſorium reſcripſit. Sed vt eſt ſumma humanitate præditus, modeſtiſſimè tangit eos locos, in quibus fallitur Oſorius. Hanc eius epiſtolam typis excudi cupiebã. Itaq; conueni Robertum Stephanum, vt eius vterer ad hanc rem opera. Is exemplar à me requirit, vt videat, an nihil inſit, quod ſtatũ huius reipub. tangat, & vnà, vt magnitudinem libri coniectet, ac tum demum, venia prius à regina impetrata, ſe promiſit impreſſurum. Extitit & alter, non ita pridem mihi notus de Valla. Hic à me rogat, vt epiſtolam Haddoni videat, et à Stephano, vt intelligo, ad tempus abſtulit. Hic de Valla, vt audio, à latrunculario (quem præpoſitum

ſitum regiæ vocant) arreptus eſt, & vna ex ædibus ſuis liber ille, ſiue epiſtola Haddoni in aulam defertur, & in latruncularij manibus eſt. Nunc duo ſunt, quæ ab amplitudine tua peto. Primùm, vt poſtquam eam perlegeris, ſi tantum ſuſcipere laboris libeat (neq́ue verò eſt longa) Roberto Stephano poteſtatem cures dari eam imprimendi, cum priuilegio, vt vocant, et moris eſt. Sin hoc propter aliquam rationem non libuerit, ſaltem vt ei ſit talis poteſtas facta, vt ei fraudi non ſit eam excudiſſe latinè, gallicenè. Si nec hoc placuerit, vt exemplar mihi demum reſtituatur, quo poſſim alibi excudendum curare. Quoniam verò campum hunc regionis Galliç delegit Oſorius, & illi, qui eum admirantur, in quo nos, & noſtras religionis formulas, quas ipſe ignorauit, exagitaret, cū ſũma videtur æquitate cōiunctū, vt idem et nobis ne denegetur, in quo calumnias eius cum ſumma diligentia refellamus. Benè valeat amplitudo tua.

Melodunij. 6. Martij. 1563.

GALLIÆ PRÆTOR, THOMAE Smitho. S. Angliæ reginæ legato in Gallia. S. D. P.

CLarissime orator, ex ijs tuis literis, quas ad me proximè dedisti, cognoui iustam querimoniam tuam de Osorij libro, quem dicis latinè, galliceuè, à librarijs nostris impressum, editumque, in manibus omnium esse, ideoque postulare te, vt de Haddoni libello idem liceat, qui ad illum respondit, aut certè restitui Haddoni librum, quem Valla à Stephano librario acceperat. Qua de re egi cum regina, quæ, vt par est, tulit ægrè illum Osorij librum exijsse ex officina nostrorum hominum, mihique mandauit, vt in eos inquirerem, animaduertique iuberem, qui istud ausi essent iniussu regis, &, vt dũ, sine priuilegio. Id quia facere nõ possum, nisi inspecto Osorij libello, ideò petierã ab eo, qui tuas mihi literas dedit, vt vel à te, vel ab alio Osorij librum acceptũ mihi

mihi mitteret, quod identidem rogo te, ne impunè ſit illis, ſimul vt intelligat regina Angliæ, bonis regibus etiam in bello curã eſſe regij honoris, & exiſtimationis. Nã ſeruile magis eſt, quàm regium, pugnare libellis, conuitijs, maledictis. Intereà boni conſules, ſi de Haddoni libro, nihil permittimus, cum de Oſorio factum improbemus. Exemplar autem Haddoni tibi reddi regina voluit, quod huic certo homini tradidi tibi perferendum. Vale clariſſime orator, et me ama. 9. Martij. 1563.

THOMAS SMITHVS AMPLISſimo Galliæ prætori. S. D. P.

ACceptis tuis literis, vir perhonorande, e veſtigiò famulum Lutetiam ablegaui quæſitũ exemplaria, tã Latina, quàm Gallica epiſtolæ Hieronymi Oſorij. Retulit hanc, quam ad amplitudinem tuam miſi Gallicè verſã. Nam omnes latinas diſtractas, & venundatas eſſe Typographus aiebat. Plus quingentas verò excudiſſe ſe af-

firmabat. Neq́ue verò negare opus erat. Apertè nanq́ue, & verbis disertis potestas illi facta est illas imprimendi, vt apparet ex priuilegio, toti volumini præfixo. Quod autem offert amplitudo tua vt libri supprimantur, puniaturq́;, qui euulgauerit, hoc iniquũ potest videri, illud frustrà erit. Nam & is priuilegio tutus est a pœna, et libri semel distracti, redhiberi non possunt. Vetare autem ne amplius veneant, perindè est atq́ue occludere caueam, postquam aues euolauerint. Restat solum vt par sit vtriusq; scriptoris conditio, & perindè audiatur, qui respondeat, atq́ue qui primò cauerit. Neq́; verò pugna est inter illos conuitijs, ac maledictis. Sed in genere suasorio nostras formulas religionis conuellit Osorius, & certorum hominũ mores taxat. Nec illas, nec hos, eum nouisse docet Haddonus. Illa verò est huius rei conditio, vt meo quidem iudicio satius fuerit, ambas eorum orationes palam legi, quàm vtramuis supprimi.

Nam & disertè, & latinè scribit vterque, & quod scribunt nihil vestrę reip. statum tangit. Et cum ille etiam cum priuilegio nostras formulas accusandi potestatem factã habeat, æquum sanè postulare videmur a te prætore Galliæ, vt cum simili priuilegio respondentes audiamur. Durum quidem certè debet videri, in eadem causa, alteri tantum parti perorandi libertatem dari. Benè vale vir ornatissime. Melodunij. x. Martij.

G. HADDONVS PRÆSTANTISSIMO viro D. Thomæ Smitho equiti, & legato in Gallia. S. D. P.

NIsi te multùm diligerem, admodum tibi inuiderem, cum tantum inter tuam pręsentem fortunam intersit, & meam, quantũ ego summo cum dolore sentio, tu maxima cum voluptate percipis. Etenim tu patriã, principem, coniugem, amicos, otium, & præclarissimæ legationis honorẽ vno tempore pariter recuperauisti, mea singularis infœ-

infœlicitas hæc omnia mihi vitæ ſolatia detraxit, & in labyrinthum quendam coniecit tam inuolutum, & impeditum, vt ne Dædalus quidem, ſi reuiuiſcat, vllum ex eo exitum reperire poſſit. Sed nec diu tu fœlix eſſe poteris, nec ego ſemper infortunatus, quoniam communi quadam humanæ fragilitatis conditione ſumus ita generati, nullam vt ſtabilitatem vlla vitæ noſtrę pars habere poſſit, ſed infinita caſuum incertiſſimorum varietate perpetuò iactetur. Itaq; quomodo nauium magiſtri curſum tenēt, quem poſſunt, non quem volunt, & eò ſequuntur, vndè venti ſecundiſſimè flant: ita nos ad id, ad quod neceſſe eſt, ſtudiū noſtrum inflectamus, & quò ſacroſancta dei prouidentia nos deduxerit, eò libenter perferamur: quoniam quantuncunque recuſauerimus, & auerſemur, tamē eò pertrahi nos oportet. Deindè illa certiſſima ſpe ſuſtentemur, quòd licet in hac ærumnoſiſſima vita, fœdiſſimæ tempeſtates, & acerbiſſimæ

ſimæ procellæ in nos incurrant, tamen mors, quaſi portus, nunquam a nobis longè abeſt, qui nos in illis æternis, & beatis regionibus collocabit, vbi nihil aſperitatis, & offenſionis eſt futurum. Tu interim viue, & vale in deo, cui te, & tua omnia commẽdo. Brugis. 15. calendas Iulij. 1566.

G. HADDONVS ORNATISSIMO viro Thomæ Henneagio. S. D. P.

PRocuratio mei negotij celeritatem non requirit. In reditu meo tempeſtiuũ erit, aliquid in eo moliri, ſi coniugis voluntas ſuffragabitur. Abſentiam ab hera tuam nõ tam moleſtè fero, quàm abſentiæ cauſam, vxoris tuæ morbum. Sed hæc communis eſt vitæ noſtræ conditio. Quapropter eam ſapienter debemus, & moderatè ferre, ſicut coniugem tuam ſpero facturam eſſe. Quam licet natura corpore muliebri procreauerit, tamen animũ inſpirauit firmũ, & virilem, quo nunc eam maximè decet vti, cum eſt opus, idque vt ita faciat, rogare

me, quæso illi renuncia. De Haddona mea, hoc est, de meipso, benignissimè promittis, & ego tibi tum facilè credo, tū valdè gratias ago, nec beneuolentiam in eo tuam repudiabo, nisi vxor fortè non vult. Etenim ab hac ciuitate videtur esse, sicut ego etiam ipse sum, alienior. Sed videbimus. Interim vale, nostramque dominam, tuam domesticam, sui simillimam, & Corneliam nostri temporis, meo nomine saluta. Deindè, Neutonum, et sororem, quibus ingeniū, et virtutem opto, qualia in ipso exemplari insunt, in quod intuentur. Reliqua tēpus secum afferet, cum deus voluerit. Sed heus tu? Quomodo te ualere iubeo, qui iam es, vt scribis, subægrotus? Equidem licet secùs esse malim, tamen cum morbum vxoris cogito, satis conuenire videtur, vt quorum omnia sunt alia communia, valetudo etiam inter eos esse debeat. Seriò, diligēter cura teipsum, et inprimis coniugi prouide, ne frigus ad eam irrepat. Est enim exitiale.

Præ-

Pręterea ſumat aliquid, quod ſudorem elicere poſſit. Nam donec eruperint hi interni ardores, qui intus æſtuant, ſanitatem nũquam recuperabit. Sed ecce magnã beneuolentiæ vim, qua non ſolùm rhetor factus ſum, ſed etiam theologus, & ad extremum medicus, ſi dijs placet. De teſtamento ſocrus tua ne dubitet, ego perficiam. Vale cũ omnibus tuis. Vale.

EIDEM.

SI vlla eſſet alia tuæ abſentiæ cauſa, quàm ea, quæ eſt, vxor tibi ſubiraſceretur. Sed in hera tua, vel (vt aptius ad voluntatem meam loquar) noſtra, tot officia concurrunt, tot illigatæ ſunt ſuauitates, vt mirùm ſit quenquam ab ea poſſe diuelli. Quàm auguſtum, & tacita quadam veneratione ſuffuſum os? Quàm ſerena ſine ſupercilio frons? Quantam habet gratiam comis verborum grauitas, quantum commendationis, ſobria, ſed dulcis tamen mo-

rum elegantia? Deindè tam demißi spiritus, tam pudens, & generosè verecunda mens, tam appetens aliorum laudis, & suæ negligens, deniq́ue omnia sanè huiusmodi, qualia, nec cerni profectò paria, nec optari meliora possunt. Deus hanc exquisitissimã reipub. nostrę gemmam, parietibus vestris inclusam, ad meliora tempora saluam, & florentem reseruet, & saluberrimis optimorum consiliorum monitis ad omnem fortunæ varietatem præmuniat, vt hæc in illa tam egregiæ virtutis efflorescens stirps, perpetuis adolescat ornamentorum incrementis, & tandem maturam per omnes reipublicæ nostræ partes ex se frugem effundat. Equidem ego quanquam omnibus in rebus tibi tantum debeo, quantum nunquam obliuisci possum: tamen hoc à te separatim habeo summum, & singulare beneficium, quòd ad illam exilem, quæ mihi prius cum hac excellentissima principe nostra consuetudo fuit, amplius aliquantum

influxisse

influxiſſe videtur. Itaq; de eo quod ſupereſt, fac vt diligenter accures, quemadmodum ego tecum loquutus ſum. In quo tamen illud etiam, atque etiam prouide, ne longius progrediare, quàm principis noſtræ ſũma voluntas feret. Sed cur hæc tibi præcipio digredienti. Certè quidẽ infinita principis noſtræ laus ita ſtylũ meũ incitauit, vt cum initio nihil ad te cogitarem, aut parum, tantum effuderim verborũ, quantum vides. Sed nunc finis ſit. Familia tua valet, et te expectat, & ego in eadem cœnatus, hæc valdè veſperi. Vale.

EIDEM.

NIhil mihi debes, Henneagi chariſſime, niſi ſtudium, & beneuolentiã, quã mihi velim à te perpetuò deberi. Merita noſtra ſi ponderentur, tua ſunt, & genere ipſo, & tempore præſtantiora. Sed in amicitijs beneficia numerari non debent, animus conſyderandus eſt, quem vtrinq; reor illa ne-

cessitudine dignũ esse, quam inter nos diuturnitas temporis, & multarum rerum cõiunctio confirmauerunt. Quòd soceri memoriam diligenter custodis, rectè mihi facere videre. Multo autem rectius, quòd suam illi propriam personam imponis, non affingis alienam. Nunquam enim illorũ mihi vanitas placuit, qui suos necessarios assentatiunculis mortuos posteritati commendãt, quasi de mortuis viui non meminerint, quales in vita fuerint, aut quasi mẽdacio post mortem delectentur manes; cũ id in vita nemo ferat, qui liberali natura sit. Solitudo tua mihi valdè placet, quoniam vel Scipionis solitudinem imitatur, qui nunquam minus erat otiosus, quàm cũ erat otiosus maximè, vel si nihil agis, multa vitas incommoda cuiusque generis, in quæ maxima pars tuæ conditionis adolescentũ incurrit. Cras vesperi te videbo, si domi fueris. Interim fruere libris, & solitudine, quibus duobus præter suauissimam coniugis

iugis consuetudinem, & amicorum, nihil inuenies in hac vita melius. Vale.

EIDEM.

QVanti est hæc vita, mi Henneagi, quæ plena morborum est, & molestiarum ipsa per se, quàm diu est, & pręterea continuum habet impendentem mortis terrorem, vel nostræ, vel coniugum, vel propinquorum, vel liberorum, vel amicorum. Et quanquam amicos in postremo loco posui, nescio tamen, an in primo collocari debeant. Magnum enim, & certè pręcipuum est in hac vita talem aliquam personam ex multis gregibus populorum ad intimam familiaritatem assumere, quicum omnia tractare possis non secus, quàm ipse tecum, quæ mutuum habeat studium, officium, voluntatem, cupiditatem, fidem, beneuolentiam. Talē (inquam) si vitæ, vel ducem, vel comitem, vel sodalem reperias, ingenio valentem, constantia firmum, amore coniunctum,

iunctum, & morū similitudine consentientem, illo præsente quàm libenter fruaris, q̄ dolenter absente careas, quantum semper optes saluum, quantū periclitantē adiuues, deniq; quantum ames viuum, & lamenteris mortuum? Scis, hæc oratio quò pertineat, nec ego præ lachrymis nominare possū beneuolentissimam meam, & amicissimā tuam, aulæ florem, ornamentum Angliæ. Dolorem, & angorem tuum metior ex meo. Quantū mœreas cognosco, quoniā non ignoro quantum dilexeris, & hoc pariter cognosco, quantam habueris, et quàm iustam amoris causam. Sed abeamus ab hoc tam lugubri loco, relinquamus hoc tā funestum argumentum, quod ipsa commemoratione cum acriter animum meum pungat, te vehementer in eo sauciari necesse est. Deus illam nobis alteram Elisabetham reseruet, heram beneficentissimā, principem clementissimam, sexus sui lumen, non Anglię, sed orbis terrarum stellā omni-

omnibus modis incomparabilẽ. Vxorẽ tuã audiui grauiter afflictã. Ecce alius terror. Sed deus propitius tot te ruinis cumulari noluit. Audio esse recreatam et releuatam. Deus id stabile, & diuturnũ esse velit. Nec enim aliam inuenias, qui te tam solicitè curet, tam sapienter admoneat, tam suauiter soletur, tam intimè amet. Illam quæso meis verbis saluta, & iube viuere, ac bono animo esse, mihi vt mortuæ loco esse possit, quæ licet sit mortua, mihi tamen viuit, & semper viuet. Quod vt aliqua ratione palã testatius esse possit, paucis aliquot pessimis versiculis illius licet acerbissimã, tamen optimam memoriam custodire, sicut potui, volui, quos inclusos ad te mitto. Vale. Brugis, idibus Aprilis. 1565.

EIDEM.

SCio te nimio mei studio peccare, sed peccas tamen, cum principi repręsentas, quæ tecum ego de rebus nostris familiariter cõ-

mentor, ad cuius aures nihil nisi perfectũ, & elaboratum afferri debet. Audio Northamptoniensem nostram, magnis impensis, & solemni ceremonia elatam. Gaudeo principem ne in morte quidem amicitiæ memoriam deponere, & inest in eo ipso generosa, & heroica natura. De rebus tuis, quas tantoperè scire vis, sæpè scripsi, sed adhuc crudæ sunt, si aliquid erit suspicionis, aut periculi, denunciabo. Leicestrensem aiunt, equo lapsum, aliquid habere incommodi. Quicquid est ex te certò scire velim. Hîc enim variè narratur. Deus illum confirmet. Nec enim habet Anglia quicquã elegantius, consyderatius, aut moderatius. Præclarè de statu tuo philosopharis. Vellẽ ad omnia, sed occupatio non sinit, & etiam exiliter, & ieiunè scribens, hoc ipsum prouideo, ne delinquas, vt soles. Vale. Coniugem optimam saluta, & nostros. Brugis, postridiè calendas Maias. 1565.

EIDEM.

AMor tuus, tam pertinaciter delinquens, præmione dignus ſit, an pœna, nondũ ſtatui. Scies in reditu, quem non procul abeſſe auguror, niſi noui aliqui ex Anglia vẽ-ti ſlent. Si Leiceſtrenſis me numerat inter ſuos, ſicut illum facere ſpero, rectiſſimè ſentit, nec vnquam ab illa me familia viuum diſiungi patiar, à qua ſum adoleſcens auctus, & ornatus. Heræ noſtrę beneficentiſſimæ, & auguſtiſmæ, quid aliud optem, niſi omnia, quæ velit. Vult enim omnia optima, & præclariſſima, nec vnquam maiorẽ habuit potentia cum modeſtia coniunctionem. Scoticas nuptias valdè procliuiter proceſſuras arbitror, quoniam illas natura multis modis conciliat, cui, cum ad aliquam rem multum incubuit, vix reſiſti poteſt. Quod eſt in literis tuis extremum, mihi veriſimile non ſit, non quòd non ſũmẽ cupiã, ſed propterea tardè credo, quo-

niam vehementer volo. Deus prouidebit, cui te commendo, tuamq́ue coniugem optimam, & tua omnia. Vale. Brugis, 14. calendas Iunij. 1565.

EIDEM.

FEbricula tua valdè fecit inhumaniter, quòd in his temporibus obrepsit, quæ vndiq́ue sunt occupatissima. Sed ita morata res est, vt nec tempora, nec locos, nec personas distinguat. In eo certè fuit propitia, quòd tam citò deuolauit. Nostra sunt hîc adhuc impeditissima, nec tamen vllā video propinquam reditus nostri spem, quo multum conturbor. Etenim hæc longinqua mora rem meam affligit domesticam, & delectatione me priuat amicorum, & valetudinem atterit, & nihil habet nisi cōtinuas controuersias, summa legationis penè desperata. Cū aliquid apud vos constabit, imperties. Turcici apparatus in littoribus Italicis volitantes nos hîc perterrefaciunt.

unt. Vale. Nã oculi sunt affectissimi. Brugis, tertio calendas Iunij. 1565.

EIDEM.

CAusa tua propior est periculo, quàm antè fuit, adhuc tamen omnia sunt salua. Si res feret, te admonebo. Nouus iste vester præceptor mihi valdè probatur, & illũ cõmendarẽ vberius, nisi meis me laudibus videretur corrupisse. Rescripsi ad clarissimũ Leicestrensem, quemadmodum lætor pedes recuperauisse, vtinam ego oculos itidem possem. Reditus meus est adhuc incertissimus, quem tu quòd tam vehementer expetis, mihi iucundissimũ est. Nec enim ita faceres, nisi te nostra consuetudo delectaret. Et ego tua vicissim libentissimè perfrui velim, cum deus voluerit, ad quem de omnibus absolutè referendum est. Amicos saluta, quos censebis, & vale. Sum enim hoc tempore exercitus, & planè distentus, tamẽ vxorem nominabo tuam, vt

intelligat, ſicut re vera eſt, ſe non vulgariter à me diligi, ſed præcipua quadam, & eximia beneuolentia. Rurſus vale. Nonis Iulij, Brugis. 1565.

EIDEM.

SIlentium tu meum accuſas, ego tuum. Et tamē credo nuntiorum eſſe culpā, literas noſtras non perferentiū. Sed in literis parū eſt, ſi mutua nobis conſtet amicitiæ fides, quæ ſic in omni cōſuetudine noſtra iam inueterauit, vt minimè debeat niſi in morte occidere. Valetudo præſens multò deterior eſt, quàm vellem. Caput ita frigoribus perfluit, vt propè vox interciderit. Breuî te videbo, ſi deus voluerit, & heram noſtram excellentiſſimā, aut id ſi longius erit, meo cum magno fiet rei familiaris, & valetudinis detrimento. Sed principi ſeruio tam libenter, & patriæ, vitam vt in eo ſi ponere debeam, non recuſem. Summam eſſe gratiam tuam, & audio, & gaudeo. Tu ex deo eſſe

esse memineris, & eam ad dei honorem, & patriæ salutem accommoda. Nonnihil solicitus videris. Ne sis. Nihil sapienti præstandum præter culpam. Gratiam semper inuidia comitatur, sed obtrectationem ad extremum vincit innocentia. Noli nimiũ suspitionibus indulgere. Quidam sunt retexendarum amicitiarum artifices, & rumorum fingendorum. Susurros illorum vita, deum cole, principem honora, patriæ serui, comitatem omnibus exhibe, familiariter vtere paucissimis, reliqua ipse per te. Vale. Saluta coniugem, & iube meo nomine, vt valetudinem suam diligenter curet. Brugis, pridiè nonas Septembris. 1565.

EIDEM.

ETsi prius ad te satis plenè scripseram: tamen Papam inanem ad te sine literis meis dimittere non potui, vel quoniam nomine tam celebri nuntius est, vel quia tam opportunus, nimirum ad te cum rectâ se per-

perrecturum ostenderit. Tuum manet saluum negotium, & ita mansurum videtur. Nostri reditus oblata est præclara conditio, quam hera nostra si repudiarit, mihi molestum erit, non tam mea, quanquam & mea etiam, quàm negotij suscepti causa, quod hoc interuallo poterit omnibus mẽbris perpoliri. Memini te postremis ad me tuis literis filioli mei nomen inseruisse, quẽ etiam illa veteri Pythagorça lege nostrum vocas. Iocaris tu quidem. Sed ego, si vita cessero, non abundantiore fortuna, quàm adhuc sum, equidem seriò confido te memoriam in eo nostrę necessitudinis conseruaturũ, et id, vt ita facias, à te vehementer peto. Vale. Postridiè nonas Septembris. 1565. Brugis.

EIDEM.

RVrsus hîc rumores, & literæ, nostros contra Turcas fœliciter pugnauisse, & vires Turcicas sic esse imminutas, & attritas,

tas, vt Melitenses summam habeant victoriæ fiduciam. Sed omnia tam plena sunt mendaciorum, vt vix inuenias quod affirmare possis, aut in his certè rebus, ne vix quidem. Tamen hoc summatim te scire volui, spem hîc ostendi, quam antè dixerã. Legationis nostræ negotia sic trahuntur, vt planè nullam de reditu firmam, & certã cogitationem suscipere possim. Tua quidẽ adhuc salua, & credo fore, quomodocunq; res ceciderint, tamen in eo volui, vt ad me nõnihil scriberes, quod à te prętermissũ mirarer, nisi ista tempora scirem tantũ habere venationum, et voluptatũ, vt vtilitas tua tibi facilè possit excidere. Vtcunque est, literas tuas expecto, quibus tuam, & optimæ coniugis tuę valetudinem cognoscere possim, cui secundum heræ nostræ prosperitatem, propè nihil est, quod antepono. Ego Antuerpiam aduolaui cum D. Montacuto, nec ibi constitimus amplius quàm vnũ diem. Iter sole fuit, & puluere molestissi-

mum. Ibi Sackuildium inueni, reditum in Angliam adornantem. Ædificiorum ibi ſpecies egregia, nihil ferè aliud, quod mihi probaretur. Subiraſcor tibi, quòd iamdiu nihil a te literarum acceperim. Sed nimirũ gratia tua ſi tantum creſcit apud principẽ, quantum audio, fortaſſè breui nos tenues homunculi in obliuionẽ veniemus. Hoc ego tecum iocor quidem meo more, ſed tamẽ de gratia tua, neſcio quàm mirifica, ſeriò mihi fuit renunciatũ. Vale. Saluta coniugem, & mutuò, ſicut ſoletis, amate, & viuite. Brugis, quinto calendas Septembris, feſſus, & languens ex itinere.

EIDEM.

BEnè eſt, quòd officium meum rectè accipis, quod ſola beneuolentia ſuſceptũ fuit, & ſingulari quadam cura tuæ ſalutis. Tu, qui propius omnia vides, certius iudicabis, ego illud vnum apprecabor, vt te ſaluum in reditu, & incolumem offendam, quo ſi caren-

carendum ſit,& paucisſimis alijs, vix inuenirem in patria, quo frui poſſem. Latina quòd interponebas, mihi valdè probatum fuit, quoniam ex illis intelligo plus adhuc in eo genere facultatis tibi remanere, quàm existimabam. Et ſi poſthac te ad ea nonnunquam aſſuêris, quò longius in ætate procedes, eò te minus illius instituti pœnitebit. Nunc enim tibi tempus iuueni, & aulico, varijs delectationibus abit, et euolat. Sed cum poſthac grandior in fundo proprio viues, magnum, atq; adeò maximum in libris, & literis, ſolatium inuenies. Credo Germaniæ legationes non multum feſtinationis habituras, & noſtris etiam negotijs magna hîc iniecta eſt mora, collegarum noſtrorum tarditate, qui nunc demũ apparent, & cras ad colloquiũ deſcẽdimus. Præcipuus illorũ, qui pro Montueio ſuccedit, longo capillitio, & tergo incuruo, grauem ſenectutis perſonam ſecum affert. Fuerunt in aduentu noſtro quidam ſuſurri

rerum nouarum, & turbulentarũ, ſed rurſus refrixerunt, & nunc omnia pendere videntur ex reſponſo regis, ad quem Marchio de Barges, & Monteneius noſter in Hiſpaniam proficiſcuntur, nec illi quidem tam celeriter, quàm conſtitutũ erat, quoniam in ludo grandium pilarum, quas hîc machinis torquẽt, crus Marchioni de Barges ante paucos dies contuſum eſt. Vxorẽ ſaluta meo nomine, quam mihi ſubiratam puto, quòd mihi in literis tuis ſalutem non aſcripſerit. Deus vobis omnia det optima. Vale. Brugis, tertio Maij. 1566.

EIDEM.

NOn dubito quin amicitia noſtra deuincita tot officijs iamdiu ad ſummũ peruenerit, & tam altè radices egerit, vt nulla vis eam viuẽtibus euellere poſſit. Scio tibi dolere, quod cauſæ noſtræ non melius procedunt. Etenim publicę ſunt, & tibi cognoſco res publicas eſſe chariſſimas, & cõmenda-

mendatiſſimas, & nimirum optimo cuiq; ita eſſe debent. Coniecturis tuis vehementer aſſentior, ſed ita, vt D. ipſum exiſtimẽ maximum his rebus impedimentum inferre, quo viro ſi quicquam turbulentius, aut peruerſius eſſe credis, erras. Quod ex Germania renũcias, magis opto, quàm expecto. Veterem in hac re meam opinionẽ non ignoras, à qua nihil me deducere poteſt, niſi vnum, quod vtinam pręſens intueri poſſim. Hac enim in re ſum planè Didymus, nihil vt certò credam, niſi quod videro. Interim ſpem aliquam oſtendi rectè eſt, & ego certè perlibenter audio. Non tam mea cauſa, qui propediem ſum ex hac vita migraturus, quàm reip. quã ego, ſi queam, immortalem efficere velim. De filio meo tibi gratias ago, cui nihil melius exoptare poſſum, quàm vt matri ſit ſimilis, qua, meo iudicio, nihil vnquam fuit iucundius, aut melius. Vtinam, vtinam illa vixiſſet, & ego fuiſſem mortuus. Quanquã viuit illa quidem,

dem, & semper viuet, ego verò ex illo tempore sum omninò mortuus, & adhuc quotidiè morior tanto præsidio rerum mearũ orbatus, & vitæ solatio, quantum tu recordari potes, & ego nunc, si possim, obliuisci velim. Sed nec possum, nec vnquam potero, nec de illa sine lachrymis cogitare licet. Sed etiam heræ nostræ valetudo, sicut videtur, aliquantum tentata est. O miserabilem, & funestam præsentis vitæ conditionem, quæ quotidiè vel mortes illarum personarum, vel morbos affert, sine quibus omninò viui non potest. Itaq; vel in mœrore, vel in metu semper sumus, & nimirũ futuri sumus, donec illa suprema dies illuxerit, quam vulgus tristem, & horribilem, ego bonis omnibus, & verè sapientibus lętissimam, & maximè opportunam esse iudico. Deus propter infinitam misericordiã, omni ratione præstantissimam heram tueatur, in cuius occasu fœminei sexus lumen extinguetur, & Anglia plagam accipiet a-

cerbissimam, & sempiternam. Vos iuuenes videritis, ego maxima spe sum, me miserijs huius vitæ perfunctum, illam in cœlis expectaturum esse. Saluta coniugẽ optimã. Vale. Brugis. 15. calendas Iulij. 1566.

EIDEM.

VIdi literas ad coniugem, in quibus amicitiæ principatum quendam apud te videor obtinere. In quo rectissimè tu quidẽ, cum mihi nullus sit ex omnibus, quem tibi possum anteferre. Tuam tot dierum absẽtiam obiurgarem, nisi plena esset humanitatis, & officij. Quid enim melius, aut natura tua dignius, quàm luctum leuare tam illustris personæ, & peramantis tui? Scripsissem etiam ego aliquid ad minuendam illi mœstitiam, nisi deus illum in hoc genere calamitatis toties exercuisset, vt nunc sibi ipse non solum doctrina, sed etiam experientia magister esse possit, præsertim cũ tanta ingenij, & pietatis habeat adiumenta,

quanta

quanta vix in eius annis credibilia esse possunt. Reliquum est, vt se ipse colligat, & his vtatur dei donis nunc, cum tempus fert, & illam animi magnitudinem adhibeat, quã causa requirit, & dei voluntas postulat. Quæso me vt illi diligenter commendes, & operam omnem offeras, quatenus ea vti voluerit. Vtinam ibi essem, vbi tu es, ad aliquot dies. Sed hæc est miserrima seruitutis meæ conditio, quam tamen heræ nostræ summa comitas, non solum tolerabilem faciet, sed etiam facilẽ, si aliquando finem inuenire possit, qualem expeto. Sed ad deũ refero, cui te etiam atque etiam commendo. Vale. Decimoquarto calendas Octobris.

G. HADDONVS THOMÆ WILsono legum doctori. S. D. P.

AMo amorem tuum, qui te de valetudine mea tam solicitum facit. Conditio corporis multò deterior est, quàm tu velles, sed animus, vt spero, firmior. Nã hęc summa soli-

ſolitudo, in qua nunc viuo, nihil eſt aliud, quàm perpetua mortis commentatio, Socrati tantoperè probata, diuiniſſimo viro. In qua quoties cogito (cogito autem ſæpiſſimè) quàm propè tempus adſit, quod totum corpus meum in terram diſſipabit, multò mollius has eius ruinas fero, præſertim cum vniuerſa vita, quam poſt mortem ſuauiſſimæ coniugis extraxi, mors potius fuerit, quàm vita. Quòd ſi deus me ad ſe illo tempore aſſumpſiſſet, quo propè dyſenteria Cantabrigiæ ſum abſumptus: quantum malorum, & quàm incredibilem vim effugiſſem, quam longiore vita exhauſi, et adhuc exhaurio. Sed dei ſumus, illi viuamus, & illi moriamur, & eo chriſtianiſſimo decreto ſimus cõtenti. De morbo meo plura cum vnà erimus, quod erit in huius menſis exitu, ſi deus voluerit. Nam medicus meus omnem conſumpſit ſuã ſcientiã, et ſolitudo bilẽ auget. In Anglia tu, & pauci aliquot ex intimis meis aliquando interuenie-

uenietis,& ſolicitudinem leuabitis. Oxonienſem ſementem,ſi valerem ſatis, libenter inſpicerem , patriæ cauſa, cui poſthac prodeſſe poterit,cum maturuerit,& fruges fuderit.Sed vtcunq; magnificè de illis prædicatur , nec Smithi ibi ſimile quicquam, aut Checi occurret, quos nos audiuimus, tamen ibi te omninò eſſe velim ; vt ſi deus me reuerti velit,exiſtat aliquis,cui illa narranti, poſſim credere. Nam omnes omnia mentientur,vel fauore, vel inuidia, vel inſcientia, & in hoc vltimo genere aula vehementiſſimè peccabit, ſicut & Cantabrigiæ fecit. De proprijs rebus tuis libēter audire vellem. Licet enim me planè mei tædeat, tuis tamen rebus proſperis recrearer. Vale.Brugis,ſecundo idus Auguſti.1566.

G. HADDONVS EXCELLENTISSIMO in literis viro Joanni Sturmio. S. D. P.

SÆpè ad te ſcribere volueram, ornatiſſime Sturmi, meis vt literis intelligeres, quan-

quantum ſcientiam omnium diſciplinarum admirarer tuam, pietatem amarem, et comitatem approbarem. Sed, neſcio quomodo, nunquam, ad id, tempus fuit, quale deſyderabam. Nunc verò noſter Aſchamus, qui te tantum diligit, quantum tu facilimè intelligis, allatis, vt mihi viſus eſt, optimis rationibus peruicit, non ſolum vt literas ad te darem, ſed etiam vt peterem abs te aliquid. In quo licet nimis audacter facere videbor, cum nulla inter nos notitia ſit, tamen propterea minori ſum, ad rogandum, verecundia, quoniam hoc, quod requiram, tibi gloriſiſſimum eſt ad concedẽdum, & mihi longè gratiſſimum ad accipiendum. Cum mihi dico, parum eſt, ſed vniuerſam doctorum virorum nationem comprehendo, quam tibi permagni eſſe neceſſe eſt. Duo clariſſima literarum monumenta tuis ſtudijs elaborata reſidere tecum audio, imò verò penè ſcio. Nam Ariſtotelicę rhetorices exẽplar Aſchamus no-

ſter mihi iam pridem exhibuit, & idem de Ciceronis analyſi tantoperè affirmauit, vt mihi res ſit planè certiſſima. Nec melius comparari potuit, quàm vt Ariſtoteles, & Cicero, qui te perpoliuerunt, ad vſum communem omnium ſcientiarum tua potiſſimum opera traducerentur. Et eſt hoc etiam perſonæ tuæ conſequenter aptiſſimum, vt ſicut ipſe luminibus excellentiſſimorum virorũ, & omnis memoriæ principũ illuſtratus es, ita tu nobis viciſſim de ſplendore tuo tantum impertias, quantũ nobis in caliginoſo loco palpantibus, ad diſciplinarũ cognitionem prelucere poſſit. Adiuua nos igitur, ornatiſſime Sturmi, per muſas, per vniuerſam naturæ tuæ bonitatem, nec illos diutius in tenebris iacere patiaris, à quibus tua exiſtimatio ſummam ad celebritatem perducta eſt. Imitare Ciceronem tuum, qui, veluti ſcis, cum Luceio vehementer egit, vt actorum ſuorum hiſtoriam texeret. Ita enim futurum, vt ali-

qua

qua viuus rerum gestarum gloriola perfrueretur. Sunt multa fateor inter manus nostras obambulantia, quibus tuum nomen ad immortalitatem ascendit: tamen cum ista duo sint ex omnibus alijs praecipua, minimè illa omnium supprimi, & abstrudi debent. Nam quae per se bona sunt, non solum alios cōmunicata meliores reddunt, sed etiam ipsa fiunt eadem illa communicatione meliora. Quapropter in hac optima causa te facilē prębe, quem nulla in re difficilem esse dicunt, qui te maximè norunt. Nec id meis precibus tribue, quanquam & meis etiam, sed literis, & virtuti, & reipublicae, & tibi ipsi denique. Nam & omnium eruditorum interest, & etiam tui ipsius inprimis. Quodsi mihi affirmanti non credis, Aschamo nostro assentire, qui iuramentum, si postulas, in hac re, minimè dubitanter exhibebit, cui ego iampridem illam, quae tecum est, necessitudinem subinuideo. Quanquam enim nunc primùm

ad te ſcribo, tamen nō te nunc primùm diligo, ſed ante aliquot annos tuorū inuētorū ſuauitate, & eloquētia ſic allectus, & etiam incenſus ſum, vt nihil magis optauerim, quàm aliqua via, tuam ad interiorem familiaritatem intrare. Nec in vllo tempore mihi quicquam gratius accidere poterit, quàm vt tibi, vel tuorum rebus, aliqua ratione, quantum poſſum, inſeruiam. Vale optime Sturmi.

Londini, ex regia noſtræ principis.
vj. Decēb.
1566.

FINIS.

D. GVALTERI HADDONI, LEGVM DOCTORIS, serenissimæ reginæ Elisabethæ, à supplicum libellis, Poëmata, studio & labore Thomæ Hatcheri Cantabrigiensis sparsim collecta, & edita.



LONDINI, APVD Gulielmum Seresium.

1567.

Gualterus Haddonus pio Lectori.

QVisquis es, has domini leges qui ſcire laboras,
Diſce mori mundo, viuere diſce deo.
Namq́ licet Chriſtum fecit mea muſa poëtam,
Attamen eſt idem, qui fuit antè, deus.
Non animi cauſa verſus percurrere debes:
Sumitur hinc vitæ regula certa tuæ.
Regula, quæ numeris currens, vt promptior eſſet,
Carminis hæc nobis vnica cauſa fuit.
Subſequitur domini vocem doctrina Iacobi:
Diſcipulus domino conuenit iſte ſuo.
Quæ legis, in vitam transfer præcepta beatam,
Vt ſit idem cordis ſemper & oris, iter.
Sic tibi certa tui conſtabunt lucra laboris:
Sic mihi certa mei lucra laboris erunt.

Pręterit habitus huius mundi.

Oratio Iesu Christi, qua populum affatus est, cùm ascendisset in montem, comprehensa versibus, authore D. Gualtero Haddono.

Math. v.

ASTITIT, & populum cernens concurrere Christus
In tumulo sedit, circumfusisq́ sedenti
Discipulis, præcepta dabat, sic ora resoluens.
Pectore summisso qui sunt, animisq́ modestis,
Fœlices ibunt patriæ cœlestis ad oras.
Fœlices etiam, vitæ qui crimine, mœrent:
Namq́ pium sequitur solatio læta dolorem.
Mitia mansuetè, qui degunt tempora vitæ,
Suscipit hos gremio, sanctissima terra beato,
Iustitiæ sitis, atq́ fames quos sacra tenebit,
Illorum fœlix, satiabit copia fauces.
Qui teneris animis sunt, & mollescere possunt:
Mutua fœlices illos miseratio reddet.
Pura quibus mens est, & cor sine labe malorum,
Et dominum cernent, et erunt cernendo beati.
Aspera concordi, qui sedat prælia pace,

Fœlix diuinæ florebit nomine prolis.
Iustitiæ causa quotquot tormenta dolorum
Intrepidè subeunt, cœlestia regna tenebunt.
Impia pestiferis quoties conuitia linguis,
Natio praua vomēs, ad pœnas corpora quæret:
Et quoties puros mores infamia falsa
Conspuet, eximio quia me celebratis honore,
Vos, ô vos toties verè censete beatos.
Tempora lætitiæ sunt hæc plenissima vestræ,
Præmia quæ summo deducent maxima cœlo.
Namq́ fuit quōdā qualis fortuna Prophetis,
Talis & in vobis hodiè succedere debet.
Pectora vos insulsa decet condîre salubri
Doctrinæ succo, putridas purgare lacunas
Corruptæ vitæ: quia sal cœlestis in omnes
Spargimini terras, sal si tabescere cæpit,
Interit, atq́ foràs conculcat turba iacentem.
Lumina vos estis toto lucentia mundo.
Non igitur cæcis debet lux vestra cauernis
Obruta demergi, sed vt vrbes monte locatæ
Ostendunt longè muros, & tecta domorum:
Vtq́ ardens lucerna solet diffundere lucem,

Quandò

Quandò micans sursùm conclauia lumine complet:
Sic benefactorum vestrorum flamma refulgens
Igne pio feriat sensus, & corda perurat:
Poßit vt exemplis vestris reuirescere virtus,
Gloria cœlestem sequitur sic maxima patrem.
  Tollere præteritas nolo, sed figere leges,
Tollere non statuo, statuo reuocare Prophetas.
De quibus affirmo, dum mundi machina durat
Syllaba nulla cadet, sed iustum pondus habebit.
Hæc minima qui parte sui conuellere tentat,
Aut alijs culpæ fuerit temerarius author,
Non poterit regni cœlestis ciuis haberi.
Qui tenet, ac alijs suadet mandata tenere,
Fœlix in cœlo magna mercede fruêtur.
Nam nisi iustitiæ maiores edere fructus
Vestra potest pietas, quam Scribæ regula poßit,
Aut Pharisæorum solennis formula legum,
Non licet in regno cœlesti ponere sedem.
  Lex antiqua fuit, quæ non occidere mandat,
Atq; reos cædis iusto quæ iudice punit.
Sed mea lex iram, si sit temeraria damnat:
Iudicioq; notat commoti iurgia fratris.

Si furor exarsit linguæ, conuitia iactans,
Concilio subiectus erit, qui crimen habebit.
Stultitiæ probrum crescens insania fratris
Si iaciat contra fratrem, mittetur in ignem.
Ergò tuum sacra si munus ponitur ara,
Iamq; deo tendens palmas, offerre parâris:
Et subit interea mentem iustissima causa,
Quam tuus aduersus te frater sustinet, illum
Concilia primùm: placato fratre, reuerte.
Carcere si iusto te frater claudere tentat,
Tollito maturè lites: ac inter eundum
Quas tuus obijciet frater sedato querelas:
Iudice sub iusto nè causam dicere cogat:
Isq; tuis meritis succensens ire ministrum
Imperet, ac duris te deuincîre catenis.
Crimen enim si iusta tuum sententia damnet
Iudicis, ex illo te carcere nemo mouebit,
Omnia quæ debes donec sunt ritè soluta.
Punit adulterij pollutum crimine corpus
Formula priscarum legum: sed sanctio nostra
Aspectum facit esse reum, quem cæca libido
Concitat, & mentes aliena in coniuge figit.

Ergo

Ergò tibi quæcunque tui pars corporis obstat,
Siuè oculus sit, siuè manus, præcidere cures,
Putria syncero remouens à corpore membra.
Mancus enim melius cœlestia regna subibis,
Integer æternum quàm detruderis ad ignem.
Legibus antiquis satis est, si quando maritis
Coniugij sanctum fœdus placet esse solutum,
Mittere coniugibus scriptis diuortia libris.
Sed mihi non satis est, qui sic edico maritis,
Vt nisi sit stupri rea, sponsam nemo relinquat.
Namque relicta nouum thalamũ quæcunque sequetur,
Est in adulterio, par est & culpa mariti.
Legibus antiquis periuria sola vetantur,
Sufficit atque deo iuratum reddere votum.
Lege mea, nulli prorsus iurare licebit.
Si iuras cœlum, iuras cœlestia regna:
Si iuras terram, iuras subsellia patris.
Hierusalem iurare nefas, quia regia summi
Principis est, cuius reuereri limina debes.
Atque caput proprium, quia nõ formare licebat,
Nec iurare licet: domino sua facta relinque.
Est: non est: vestræ sit simplex regula linguæ.

Quicquid erit maius, vitio confine videtur.
Lex vetus est oculos oculis, & dentibus esse
Pensandos dentes: sic par erat vltio culpæ.
Sed mea vindictam patitur clementia nullam.
Inijciat si fortè manus tibi frater iniquas:
Vis quantùm crescit, tantùm patientia crescat.
Pro tunica frater si causam dicere cogat,
Spontè tua chlamydem facilis sine lite remitte.
Hospes in ignotis si quis regionibus erret,
Teq; ducem, comitemuè viæ desyderet esse;
Plenius officium præsta, quàm postulat hospes.
Ex opibus quicquam si frater poscat egenus,
Fac tribuas: si quærit mutua, mutua sumat.
Lex antiqua iubet, magni faciamus amicos,
Ac odijs iustis inimicos vltio figat.
Vos tamen & vestros inimicos semper ametis,
Et probra cùm iactant, illis optate salutem,
Quando ruent odijs, studio pensate benigno,
Lædere quando parant, illos orando iuuare
Pergite: sic patrem proles bonitate sequetur:
Qui tempestiuos dimittit nubibus imbres,
Atq; salutarem diffundit sole calorem:

De

De quibus humani generis promiscua turba,
Maxima præsentis conquirit commoda vitæ.
Nam studium studio si pensat amicus amico,
Gratia tam paribus meritis est nulla relicta.
Si colitis solos fratres, exilis amoris
Fructus erit: vulgus sua sic commertia tractat.
Gratuitus sit vester amor, dimanet ad omnes,
Non meritis emptus, non vtilitate reuinctus.
Denique sit vitæ talis perfectio vestræ,
In patre cœlesti qualem reperitis inesse.

MATH. VI.

CUm miseros fratres largitio vestra leuabit,
Non oculos vulgi, nec plausus quærere debet:
Non medio tuba rauca foro tua dona sonabit.
Sic simulatores faciunt, quos gratia vulgi
Commouet, ac fragilis popularis gloria laudis.
Hoc genus, humanæ quia captat præmia linguæ,
Præmia de cœlo venientia, nulla reportat.
Sed tua cùm pietas fratri succurret egeno,
Ibit ab humanis oculis, & teste carebit:
Ut pater in cœlis, qui secretissima cernit,

Munera muneribus manifestis abdita penset.
Nec simulatorum debetis more precari:
Quos licet in plateis stantes, cætuq́ videre,
Vota deo coram, magno dum murmure fundũt.
Hos deus vt seruos hominum, dimittit inanes.
Supplice tu dominum quoties vis ore precari:
In conclaue tuum secedens ostia claude:
Solus ibi dominum secretum flecte precando,
Solus vt è cœlo tibi munera fundat aperta.
Garrula quæ currit multis oratio verbis,
Æthnica, se longo credit sermone probari.
Non opus est multis verbis extendere vota:
Scit pater in cœlo, quid vestrum quisq́ requirat.
Quandò meos seruos orandi cura subibit,
Omnibus ista piæ ponetur formula vocis.
O pater, ô noster, qui supra sydera regnas,
Semper in eximio sanctum sit nomen honore.
Magna tui veniat maturè gloria regni.
Quomodò stat cœlo terra stet firma voluntas.
Continuis epulis animos, & corpora nutri.
Vt condonamus, condona crimina nobis.
Sustenta miseros vitiorum mole ruentes:

Et præsta saluos in tempestate malorum.
Cuius habet nullas ditio latißima metas,
Cuius habet nullum diuina potentia finem.
O pater in cœlis, natorum suscipe vota.
Quam petitis culpæ veniã, concedite vestris
Fratribus, atq; pater vobis peccata remittet.
Pectore qui duro nolunt ignoscere fratri,
Pectore pro duro plectentur iudice patre.
Turpis hypocriseos fucus ieiunia vestra
Non linat, & vultus atros fuligine reddat,
Vt facies cernens vulgus ieiunia laudet.
Corpora quandò deo vultis subiecta domare,
Emineat læto vultus placidißimus ore:
Sic caput & facies niteant, ieiunia solus
Vt pater in cœlis vester secreta videre
Poßit, & is vobis mercedem reddet apertam.
Deuia fortunas non condat terra sepultas:
Aut rapient fures, tineæ vel ab ore terentur.
Astra facultates scandant, cœloq; locentur:
Quo neq; fur penetrat, tineæ neq; morsus edacis:
Nam thesaurus vbi situs est, ibi pectora sidunt.
Est oculi duplex lumen sub fronte locatum,

Corpore quod toto lucem diffundere debet.
Hanc igitur lucem purgari fœce malorum
Conuenit, vt puro perspergat lumine vitam.
Nam vitij nubes, oculorum lumine merso,
Corporibus tenebras inducit nigra profundas.
Nemo potest dominis plenè seruire duobus.
Seruiet alterutri, famulum desyderat alter.
Sic ego vos solus, solus vel Mammon habebit.
Sollicitudo cibi, potus, & vestis, ab ægris
Pectoribus cedat: patri committite curas,
Corpora qui pascit, qui collocat ordine vitam.
Corpora quis volucrum toto labentia cœlo
Libera sustentat, nullo vexata labore?
Si volucrum viles animas clementia patris
Seruat, an in vestra poterit cessare salute?
Quantalibet te cura premat, tibi crescere cura
Nō poterit corpus, noua nec procedere mēbra:
Sed pater in cœlis qui iunxit corporis artus,
Ille creaturas omnes & pascit, & ornat.
Lilia procero quæ candida vertice surgunt,
Ipsa sibi nullas, possunt contexere vestes:
Et tamen illorum folijs florentibus alta

Gloria se tollit, sursùmq; cacumina iactat.
Non Salomon tam cultus erat, cùm regia pompa
Ornamenta sui collegerat omnia regni.
Gramina camporum, quæ post mittetur in ignem,
Si deus exornat, vos non sine veste relinquet.
O homines fractis animis, cur cura fatigat
Pectora, vestigans timidè vestemq́, cibumq́?
Æthnica turba, deū quæ non habet, ista sequatur.
Vos pater indulgens curat: quantumq́ cuiq́
Conueniat, nouit, tantumq́ cuiq́ reponit.
Mente deum, regnūq́ dei fac supplice quæras:
Cætera diuino tibi fundet copia cornu.
Pectora venturi non tangat cura diei:
Namq́ satis præsens secum feret ipse doloris.

MATH. VII.

IVdicijs duris fratres iugulare cauete:
Iudicium durum sequitur sententia dura.
Pondere quo fratrum vestrorum facta libratis,
Pondera vestra, pater cœlestis, librat eodem.
Parua vides fratris, propriæ te crimina vitæ
Magna latent: alios semper purgare laboras

In minimis, tua sit vitijs cùm vita referta.
Cur ita dissimulas? primùm peccata tuorum
Grandia deleto morum, tunc corrige fratrem.
Eximias fidei canibus desistite gemmas
Promere, vel porcis: illis odiosa tyrannis
Efferat, hos carnis demergit fœda libido:
Ergò prophanabit fidei mysteria vestræ,
Vel ruet in vestras teterrima natio clades.
Si petitis, dabitur: si quæritis, inuenietis:
Janua, pulsanti, fuerat quæ clausa, patebit.
Vos homines quos sola facit natura parentes,
Filius à vobis si panem fortè rogarit,
An dabitis lapidem? si pisces ille requirat,
An dabitis sæui serpentis dira venena?
Vos igitur, quos culpa malos innata reliquit,
Si bona, quandò petunt, gnatis conferre potestis
Munera, cœlestis pater optima quandò rogatur,
Munera perpetuæ donabit maxima vitæ.
Quomodò tractari vultis, tractate vicissim
Vos alios: in eo constant lex, atq; Prophetæ.
Sunt geminæ portæ, quarum latissima multos
Altera descensu facili sub Tartara mittit:

Altera

Altera quæ sursùm sublimia tendit ad astra,
Difficiles habet introitus, & limina parua.
Porta capit paucos, sed quos angusta recepit,
Collocat in cælis arctißima semita tutos.
Effundet falsos ætas ventura Prophetas,
Quos simulatorum mansueta modestia morum
Occulet, illorum vos declinate furorem.
Simplicitas ostendit oues externa, sed intùs
Pectora sæuorum flagrant feritate luporum.
Si pietas animos vestros fucata mouebit,
Cernite quos fructus illorum vita profundat.
Nec tribulus ficos vnquàm, nec spina dat vuas.
Qualis enim fuerit fructus, quæ procreat arbor,
Talis erit semper, quem sumis ab arbore fructus.
Putrida corruptos fructus, quæ fuderit arbor,
Cæditur, ardentes & inutilis ibit in ignes.
Ergò sit in vobis morum perfectio summa.
Nam dominum frustrà, quantumuis sæpè vocabit,
Cuius erit domini pæceptis vita repugnans.
Tempora iudicij cùm vos postrema supremi,
Ante meum trepidos cogent astare tribunal,
Impia sic sese iactabit lingua malorum:

O deus, ô venerande deus, nos esse Prophetas
Nominis in virtute tui scis, atq; ligatas
A Satana miseras animas exoluere posse.
Nominis atq; tui cognoscis numine sacro,
Cætera virtutis quot sint miracula nostræ.
Sit licet illorum tam stulta superbia linguæ,
Non tamē agnoscam, miseros migrare iubebo,
Ignotosq; mihi, vitam qui crimine mergunt.
Dogmata diuinæ quisquis præsentia vocis
Audit, & in sanctos mores transmittere curat,
Ædificatori par est, qui prima domorum
Firma super petram vult fundamenta locare.
Nanq; procellosis cùm stillāt nubibus imbres:
Quandò ruit Boreas, & sæuo tecta tumultu
Concutit, has ædes tempestas nulla mouebit:
Fūdamenta petræ quia sunt stabilissima duræ.
Sed mea, quæ posui vobis, mandata tenenda,
Discere qui velit, & vita discedit ab illis,
Est homini fatuo similis, qui ponit arena
Fundamenta domus, quam turbine concitus imber
Quandò quatit, molles magna vi soluit arenas,
Et domus ingenti, procumbit tota, ruina.

Sic

Sic fatur Christus. Magno defixa stupore,
Turba silet, sacræ mirans oracula linguæ.
Grandia diuinus quia traxit pondera sermo,
Nec sine momento, scribarum more, strepebat.

EPISTOLA SANCTI IACOBI.

SEruus ego, patrisq; dei, Christiq;, Iacobus,
Communem sparsis Iudæis mitto salutem.
Quando ferit miseros tempestas sæua malorum,
Anxiá diuersæ cum vexant pectora curæ:
Gaudia tunc animis, fratres, surgentia lætis,
Aspera vestrorum pellant tormenta dolorum.
Crescit enim certando fides, & sæpè ferendo
Difficiles vitæ discit tolerare labores.
Colligat æternum patientia firma vigorem,
Et stabilis virtus in nulla parte vacillet.
Quando deest vobis sapientia, quærite sursùm,
Vndè deus pleno cumulo dispertit acumen
Omnibus, atq; datum munus non exprobrat vlli.
Qui petit, accipiet, si spes sit firma petentis.
Nam titubans animus, dubitãs quẽ distrahit error,
Fluctibus hybernis par est, quos æquora iactant,
Concitus & ventus rapido cum turbine voluit.

Talis erit voti nunquàm dubitatio compos.
Simplicitas placeat, duplex astutia mentes
Dissipat, atq; vias incertas lubrica versat.
Conditio tenuis magna mercede futura
Crescat, & è cœlo thesauros sumere speret.
Cuius erit contrà nummorum plenus aceruus,
Contrahat is animum : quoniam sic vita caduca
Præterit, vt siccis flos defluit aridus herbis.
Quando suos Phœbus radios diffundit in orbem,
Decoquit herbarum succos, morientibus illis,
Vertice stat nudo gramen sine flore relictum.
Sic tibi diuitias paulatim vita recedens
Deterit, atq; iaces putris sine nomine truncus.
Pectore qui firmo vitiorum tela refûtat,
Ille erit, ille sua tandem virtute beatus.
Induet æternam victoria læta coronam,
Crimine cum pulso morum præstantia lucet.
Nam deus, ista pijs promittit munera seruis,
Quando suum numen iusto venerantur amore.
Mens tua si vitij scintillas cœpit habere,
Non deus has affert, affert tibi praua libido.
Criminis hæc labem cum pectore concipit intus,

Parturit,

Parturit, & fœdum peccati dedecus edit.
Filia peccati mors est horrenda nefandi.
Deuius, ô fratres, animos non auferat error.
Quicquid enim recti, quicquid virtutis habetur,
Muneris & quicquid perfecti vita requirit,
Maxima cœlestis donat clementia patris,
Pectora diuino qui solus lumine complet,
Cuius habet nullos constans perfectio motus,
Cuius habet nullas lux immutabilis vmbras.
Patris enim nostri, nos, definita voluntas,
Pondere diuinæ vocis, quasi semina prima
Constituit rerum, quas post effudit in orbem.
Sæpè tuas aures discendi magna cupido
Arrigat, at linguam ratio non sæpè relaxet.
Consilij pestis, mentem non obruat ira,
Namq; dei iustis præceptis cæca repugnat.
Ex animis culpæ sordes, & spissa malorum
Agmina trudantur, subeat pia corda beatus
Sermo dei, certam sermo dabit ille salutem.
Transeat in vitam virtus, quæ fluxit ad aures.
Quisquis enim præcepta dei veneranda tremendi
Audijt, & vitam non conformauit in illis,

Errat; vt ad vitrum qui vultus quandò locauit,
Exijt, & propriam dimisit mente figuram.
Ergò tibi legis perfectio mente notanda
Semper erit, semper morum sit norma tuorum.
Nam pia perpetuò quisquis vestigia legis
Seruat, eum reddet constantia firma beatum.
Currere qui patitur stolidam sine pectore linguam,
Qui sinit ad vitij latebras diuertere mentem,
Relligionis habet falsum sine pondere nomen.
Relligio syncera, deo quæ sola placebit,
Hæc erit, afflictis quæ vult succurrere membris,
Quæ, sine patronis vllis fortuna reliquit,
Quæ vitij fæces syncero corde repellit,
Nec sinit in mundi cœno sordescere mentem.

CAPVT. II.

VEstra fides paribus, fratres, se subuehat alis,
Nec sibi sit dispar, in fratrum dispare sorte.
Nobilis ingreditur gemmis ornatus, & auro:
Pauper adest, laceris malè tectus corpora pannis.
Diuite si sumpto, fratrem secludis egenum,
Non tua, quo debet, proficiscitur ordine, virtus.

Nam

Nam deus elegit, quos vos calcatis, egenos.
Atque licet mundus sordes contemnat eorum,
Grata deo pietas nudo de corpore manat.
Ciuis erit cœli, quantumuis pauper oberret,
Pectora sancta, dei quisquis complebit amore.
Quos deus assumit, vos fastidire cauete.
Diuitias sequitur magnas furiosa tyrannis,
Et trahit insontes ad sæuum dira tribunal.
Diuitias sequitur blasphemia, dente cruento
Dilacerans domini sanctissima nomina summi.
Regia diuino lex promanauit ab ore,
Fratribus vt talem nos exhibeamus amorem,
Qualis amor nostri nobis sentitur inesse.
Vos ita si facitis, laus est virtutis in illo.
Vestra sed in causis fratrum si regula dispar
Claudicat, admittens illum, qui fulget in auro,
Paupere summoto, qui nudo corpore friget,
Ista trahit secum tam magna superbia culpam,
Atque reos spretæ legis, vos arguit esse.
Sancta deindè dei sic omnia iussa cohærent,
Legis vt vnius violatio distrahat omnes.
Author enim nobis legum deus vnus, & idem,

Extitit,

Extitit, à quarum minima qui parte recessit,
Obligat hunc iuris totius culpa soluti.
Tanta sit in vobis moderatio cordis, & oris,
Vt libertatis vos lex absoluere possit.
Quisquis enim summo contendit iure seuerus,
Sentiet is summi durissima vincula iuris.
Iudicij neruos frangit miseratio clemens,
Et debellato valdè lætatur in hoste.
Sola fides, operum si sit sine laude piorum,
Interit, atque potest nihil vtilitatis habere.
Nudus enim frater, soror & cum nuda sedebit,
Si iubeas miseros, vt sunt, sine vestibus ire,
Atque parare sibi quò viuere corpora possint,
Ecquid eos ista pereuntes voce leuabis?
Sic sterilis benefacta fides si nulla ministrat,
Occidit, & succo, moritur, virtutis adempto.
Nec benè distinguit paritèr nascentia membra,
Qui secat, alterutrum sumens, sociumque relinquens.
Esse deum credis, qui mundo solus, & vnus
Imperat? hoc rectè credis, sed spiritus illud
Impius agnoscit tecum, trepidatque fatendo.
Qui leuis ad fidei vocem subsistet inanem,

Credit

Credit & expertem factorum, posse valere:
Ad generis nostri patrem respectet Abramum.
Filius, hunc iustum reddebat, victima factus.
Certa fides eius sanctißima pectora mouit,
Et fidei motum succedens actio complet.
Propterea iustum scriptura vocauit Abramum,
Est & in hoc facto domini numeratus amicus.
Iustitiæ laudem, synceræ gloria vitæ
Colligit, atq; fides ex se non sufficit ipsa.
Namq; Raab meretrix, quando collegit in ædes,
Quos populus sanctus furtim dimisit ad vrbem,
Rursus & in montes diuerso tramite misit:
Non credendo fuit, sed erat faciendo beata.
Spiritus ægroto cum frigidus exit ab ore,
Defluet ad terram corpus, vitaq; carebit.
Sic benefacta, fidem cum solam fessa relinquunt,
Interit, atq; iacet nulla cum laude sepulta.

CAPVT. III.

MAgna magistrorum non debet crescere turba,
Grandius est crimen, cũ summa scientia peccat,
Labitur in multis errans inscitia rebus.

Qui celeres linguæ motus ratione gubernat,
Illius ad ſummum ſapientia maxima venit,
Et facili reliquum diſponit in ordine corpus.
Fræna caballorum flectunt durißima colla,
Clauus & exilis naues, quas dißipat Auſter,
Dirigit, accedens quò ducit cura magiſtri.
Maxima ſic paruæ feruent conuitia linguæ:
Concitat ingentes flammas ſcintilla minuta.
Lingua ſuas flammas verborum turbine vibrat.
Lingua vomit, rerum quicquid ſentina malarum,
Hauſit, & in noſtro ſibi certam corpore ſedem,
Præparat, vt tetro ſuffundat membra veneno.
Quicquid habet volucrum, quicquid natura ferarum,
Et mare quos piſces, quos tellus procreat angues,
Ingenij præſtans ſibi ſubijcit omnia virtus.
Lingua tamen nunquàm regitur moderamine certo.
Voluitur hæc peſtis, rationis vincula frangens,
Et, quod habet virus capitale, per omnia ſpargit.
Lingua deo patri perſoluit debita vota:
Cum venit ad fratres, quos patris veſtit Imâgo,
Perfurit, ac illos maledictis figit acerbis.
Sic fluit ex vno ſermo contrarius ore.

Hæc

Hæc ita non debent vobis contingere, fratres.
Si puteus de fonte fluens, tibi dulcia præbet
Flumina, non vndas idem tibi fundit amaras.
Non eadem fructus diuersos procreat arbor,
Gurgite nec salso, fons si decurrere cœpit,
Ille potest riuis manare recentibus idem.
Eius habet veras sapientia sobria laudes,
Cuius habet mores sanctissima vita probatos.
Inuidiæ stimuli cum torquent pectora sæui,
Cum lacerat vestras acris contentio mentes:
Crimina cur falsum virtutis nomen habebunt?
Non etenim rixosa venit sapientia cœlo,
Fæcibus exhalat terræ, quam spiritus affert
Impius, & prauum dictat rationis acumen.
Æmula mens, pugnæ studio quæ feruida fertur,
Ipsa sibi dispar, oneratur mole malorum.
Quæ venit è summo diuina scientia cœlo,
Integra, perpetuo flagrabit pacis amore.
Iudicio dubias causas determinat æquo,
Iure suo cedens, gaudet componere litem,
Fratribus offensas omnes mansueta remittit,
Deniq; factorum cumulatur laude piorum,

Inuida non fratrum condemnat facta suorum,
Non simulat quicquam, sed aperto pectore viuit.
Qui pia tranquillè transmittit tempora vitæ,
Pacis erit tandem magna mercede beatus.

CAPVT. IIII.

QVis furor horribiles pugnas, belliq; tumultus
Concitat? & turpi lacerat certamine fratres?
Occupat insanas mentes impura voluptas,
Corporis & fœdi corrumpit putrida membra.
Cur hiat, & nunquam satiatur vestra cupido?
Cur habet optatum nunquàm mens æmula votum?
Excitat atroces lites contentio vestra,
Nec tamen attingit, quam vellet figere, metam,
Et meritò, coram domino quia turba scelesta
Fundere vota negat, vel sunt, quæ fundit, iniqua.
Quærit enim luxus, quod postea perdere possit,
Et sequitur prædam sceleris furiosa libido.
Progenies Satanæ, stupris demersa nefandis,
Impia pollutæ non sentis gaudia vitæ,
Quomodo cum iussis domini contraria pugnent?
Delitias mundi fragiles qui mente sequetur,

Perdidit

Perdidit æterni certißima prælia cœli.
Terribilis domini non frustrà sermo tonabat,
In vitium prono semper nos pectore ferri.
Sed corrupta suæ qui purgat semina mentis,
Crescit in illius iustißima gloria laude.
Ergò deo patri mentes summittite vestras,
Et Satan ex animis migret, cum fæce malorum.
Iungite vos patri, pater ut se iungere vobis
Poßit, & in stabili mentes componere pace.
Diluat integritas prauorum crimina morum,
Simplicitas duplices depellat pectoris astus.
Impia supplicijs diuellite corpora iustis,
Concipiant vultus lachrymas, & corda dolorem.
Gaudia lætitiæ, præsens quæ vita ferebat,
Auferat in regno cœlesti cura locata.
Mens resupina dei se coram numine sternat,
Eriget abiectam rursus diuina potestas.
Non premat insontem mentita calumnia fratrē.
Fratris enim falso violat qui crimine famam,
Is violat legem, iuris qui vincula frangit,
Ille potest dominus iuris, non seruus haberi.
Tu deus in cœlis, legum venerabilis author,

Solus es, & ſolus dominus, vitæq; necisq;.
Nemo poteſtatem diuini ſumat honoris,
Nec domini famulum tua vox temeraria damnet.
Crimen habet magnum mētis ſtupidiſsimus error,
Cum ſibi promittit longæuæ tempora vitæ,
Per varias vrbes quando ſe iactat iturum,
Atq; reuerſurum lucri cum fœnore certo.
Quin minuis faſtum miſer, & te reſpicis ipſe?
Namq; diem certum, nec habet tua vita, nec horā.
Eſt etenim fumo ſimilis, qui tempore paruo
Cernitur, atq; ſtatim tenues diſcedit in auras.
Ergò deo patri vitam committite veſtram,
Et quæ vita ſolet ſecum commertia ferre.
Namq; poteſtatem domini, cum ſermo ſuperbus
Tranſmouet in proprias vires audacia faſtum,
Talis habet, veſtro qui pectore debet abeſſe.
Nam tua cum ratio, culpæ diſcrimina cernit,
Poſteà peccantem ſequitur iuſtiſsima pœna.

CAPVT. V.

M*Agnus opum quibus eſt arcis diſſertus aceruus,*
Argenti cumulos qui congeſsiſtis, & auri,

Plangite vos miseri, lachrymarum fundite riuos,
Corda futurorum configat cura dolorum.
Tempore thesaurus, tiniæ consumitur ore
Vestis, & abrosi pereunt ærugine nummi.
Testis auaritiæ turpis rubigo citatur,
Et tacitè vestras depascit sæua medullas.
Tempore postremo, cum mors meditanda fuisset:
Extruis immenso thesauros pondere grandes,
Pauper & intereà frater, qui messuit agros,
Præmia iusta sui sudoris sæpè requirit,
Sed tua, quam debet mercedem, dextera differt.
At deus è cœlo clamores pauperis audit,
Atq; tibi duras feret hæc iniuria pœnas.
Mollia delitijs impleuit corda voluptas,
Ebria corruptas soluit lasciuia mentes,
Festa dies tanquam conuiuia læta frequentet.
Iudicio fratres condemnauistis iniquo,
Vadet & ad mortem tacitus sine crimine frater.
Firma sit, ô fratres, animi patientia vestri,
Dum redit è cœlo Christus, terrasq; reuisit.
Agricolas, fruges telluris, mente quieta,
Quamlibet has optent, tamen expectare videmus,

Donec

Donec oportunus de cœlo defluat imber,
Atq; salubris eas, solis concoxerit æstus.
Sic stabilis vestras vallet patientia mentes,
Christus adest, Christus iam iam descēdit ab astris.
Aspera concordem non frangant murmura pacem,
Judicio ne vestra cadat discordia iusto,
Prospicit è cœlo iudex, sedemq; capescit.
Cernite, quàm fuerit patientia magna Prophetis,
Numine diuino qui prædixere futura.
Sic erit illorum tandem fortuna beata,
Qui subeunt duræ discrimina maxima vitæ.
Fulminat, & Ióbum prosternit mole malorum
Spiritus impurus, sed rursus subleuat ægrum,
Omnia restituens cum fœnore, dextera patris,
Cuius habet nullum clemens miseratio finem.
Præcipuè vobis sunt iuramenta cauenda,
Nec licet hæc vlla sermonis parte locari.
Te deus in cœlo sursùm, terraq; deorsùm
Audiet, & pœnas scelerato sumet ab ore.
Non igitur terram iures, nec sydera cœli,
Nec deus immensum quicquid produxit in orbem.
Est, non est, semper linguæ sint fræna modestiæ,

Sic

Sic cadet in vestros nunquàm simulatio mores.
Quando deus meritis affligit corpora pœnis,
Supplice voce deum veniam deposce malorum.
Prosperitas rerum quoties est læta tuarum,
Pectora diuinas decantent grata camœnas.
Corpora quando graui decumbunt languida morbo,
Presbyteros sanctos, sibi quos ecclesia legit,
Congreget ægrotus, lapsam reuocare salutem
Qui precibus possint, oleumq́ infundere membris.
Nomina sacra dei concors oratio summi
Inuocet, ac firmis adsit fiducia votis.
Sic deus illorum precibus flectetur, & ægro
Restituet vires, & crimina cuncta remittet.
Mutua communes promat confessio culpas,
Criminis & veniam communia vota requirant,
Vos deus vt saluos possit, sanosq́ tueri.
Pondera magna preces iustorũ semper habebunt.
Vir fuit Helias communi sorte creatus:
Et tamen illius potuit suspendere cœlo,
Et potuit pluuias oratio reddere terris.
Qui poterit cæco fratres errore ruentes
Ad rectam reuocare viam, qui crimina fratrum
Corrigit,

Corrigit, ac illos in veri tramite ponit:
Vulnera curando fratrum, sua vulnera curat.
Nam tibi vita licet vitijs impura redundet,
Eluet ex vita maculas dilectio fratris.

PRECATIO MANASSIS REGIS Israelitarum, captiui.

O Deus, ô patrum nostrorum gloria sola,
Seminis ô iusti, summe patrone deus,
Numine qui magno cœlum, terramq́ creasti,
Et quod habet tellus, & quod olympus habet,
Alme deus, clemens, & iustam tardus ad iram,
Ad veniam facilis, crimina nostra dolens,
Ecce miser merui vindictæ fulmina sæuæ,
Criminis & faciem sum reus ante tuam.
Grandia deliqui, deliqui multa, diuq́,
Creuit & ex veteri crimine, culpa recens.
Pœnitet heu scelerum, flexis tibi supplico cordis
Poplitibus, veniæ quæso memento deus.
Peccaui fateor, peccaui, crimina damno,
Execror & sceleris probra nefanda mei.
Me mea culpa reum, faciat tua gratia saluum,
Tendo manus, supplex obsecro, parce deus.

Parce deus, noli vitiorum mole grauatum
Perdere, peccati nec memor esse velis.
Et licet indignus venia miser ipse videbor,
Gratia pro merito sit tua quæso meo.
Sic mea vita tibi laudes seruata rependet,
Atq; tuum iusto nomen honore colam.

PSALMVS DAVIDIS. XXXIIII.

TEmpus in omne dei laudes mea lingua sonabit,
Semper ego dominum commemorabo meum.
Spiritus ad dominum referet præconia iusta,
Vir pius audito gaudet honore dei.
Cœlica communi celebremus numina voce,
Summus honos domini nomen ad astra ferat.
Inueni tandem dominum, qui multa querentem
Audijt, & clemens abstulit omne malum.
Quærite diuini radiantia lumina vultus,
Semper & ex illo lumine, lumen erit.
Undiq; depressus pauper sua vota profudit,
Venit, & erectum iussit abire deus.
Angelus è cœlo, domini præcepta timentes,
Seruat, & in medio stans, mala quæq; fugat.

Delitias domini dulces, gustando probate,
Qui domino fidunt, omnia tuta tenent.
Sit timor in sanctis, reuerentia numinis adsit,
Sic tibi quo viuas sufficientèr erit.
Diuitiæ magnæ pereunt in tempore paruo,
A domini seruis non remouentur opes.
Huc ades ô fili, proprius mea percipe verba,
Vt timeas dominum, disce, docebo viam.
Qui cupit expertem curarum ducere vitam,
Cogitat & læta prosperitate frui,
Sermones vitet prauos, linguamq; refrænet,
Ne struat occultos, insidiosa, dolos.
Defugiat vitium, recti vestigia seruet,
Gaudia tranquillæ pacis amœna colat.
Nam deus ad iustos clementia lumina flectit,
Atq; pias facili percipit aure preces.
Lumine sed toruo sceleratos aspicit omnes,
Agmen vt infœlix tempus in omne ruat.
Vox pia iustorum diuinas excitat aures,
Omnibus atq; malis liberat ille bonos.
Afflictis dominus seruis solet esse propinquus,
Ac animas humiles anxietate leuat.

Magna

Magna licet iustos incurrat turba malorum,
Efficit vt non sint hæc nocitura deus.
Omnia seruorum numerauit membra suorum,
Nec deus ex illis vlla perire sinit.
Exitus infœlix vitiosis omnibus instat,
Qui malè vult iustis, in sua damna ruit.
Quotquot habet seruos, dominus redimendo relaxat,
Qui domino fidet, crimine liber erit.

PSALMVS DAVIDIS. CIII.

MAgnificas domini laudes mens grata reuoluat,
Intima corda dei nomen honore colant.
Spiritus ô noster, dominum celebrare memento,
Cuius habes summo munere, quicquid habes.
Qui tibi condonat sceleratæ crimina vitæ,
Corpore morborum qui genus omne fugat.
Cuius ab interitu vitam clementia seruat,
Cuius abundantes dextera fundit opes.
Tempora florentis qui reddit læta iuuentæ,
Corpora qui senio cana virere facit.
Omnibus oppreßis domini sententia iusta
Subuenit, ac illo iudice vera valent.

Ille ſalutari deduxit tramite Moſen,
Ille dedit populo iura beata ſuo.
Parcere procliuis dominus, concedere promptus,
Multa diù patitur, fertq́ benignus opem.
Non inimicitias ſeros tranſmittit in annos,
Criminis & noſtri non ſolet eſſe memor.
Pœna minor culpam ſequitur, quàm culpa meretur,
Improbitas iuſto fulmine noſtra caret.
Ut caua ſub vaſtum tellus ſubſidit Olympum,
Ut minor eſt magna terra minuta polo:
Sic domini noſtram vincit clementia culpam,
Pectora quando, dei plena timore, tremunt.
Tempora temporibus, quàm diſtant prima ſupremis,
Quando diem Phœbus fert, tenebrasq́ refert,
Tam deus à nobis longè delicta remouit,
Et vitijs iram fecit abeſſe ſuam.
Ac pater vt gnato ſummiſſo parcere gaudet:
Sic dominus nunquàm pectora fracta ferit.
Nouit enim noſtros ortus, quod puluere nati
Repimus in terris, & ſepelimur humo.
Tempora demeſſo ſunt noſtra ſimillima fœno,
Prætereunt anni, flos vt agreſtis abit.

Qui

Qui cadit ad terram iactatus turbine venti,
Nec locus apparet, quo prius herba fuit.
Sed domini viuax semper clementia durat,
Si metuas semper corde tremente deum.
Et dominus iustus defendet teq́, tuosq́,
Viuere si domini legibus ipse velis.
Condidit in cœlo sedem diuina potestas,
Omnia sunt regno, subdita regna, dei.
Angelus in cœlo diuinum nomen honoret,
Qui domini fœlix iussa minister obit.
Concinat eximios domini gens sancta triumphos,
Quæ solet ad nutus esse parata dei.
Tota suum dominum collaudet machina mundi,
Tuq́ deum celebres, ô mea vita, tuum.

PRECATIO EX PSALMO XXXI.

O Deus, ô nostræ spes indubitata salutis,
Iustus es, haud seruum præcipitare sines.
O deus ad nostras, aures demitte, querelas,
Et mihi maturam ferto benignus opem.
Protege me trepidum, quem multa pericula cingũt,
Arx mea sis, quando vis inimica premit.

Perfugium solum, tu tota potentia nostra es,
Dirigat errantem nominis aura tui.
Eripe me laqueis, quos callidus abdidit hostis,
Nam mihi patronus, tu deus, vnus ades.
In manibus mea vita tuis, meus ecce redemptor
Ponitur, ô verax, & venerande deus.

EX PROPHETA IOB.

FÆmineo mortalis homo de ventre profectus,
Aspicit hanc lucem, progrediturq́ foras.
Et licet exiguo dimittat tempore vitam,
Est tamen immensis vita referta malis.
Funditur in terras, vt flos in tempore verno,
Illicò languescit, conteriturq́ breui.
Lubrica perpetuis iactatur motibus ætas,
Atq́ statum variè mutat, vt vmbra locum.
Tu deus ad fragilem massam tua lumina flectes?
Ac hominis iudex tu deus esse paras?
Ecquis homo purus non puro semine factus
Esse potest? Ecquis talis in orbe fuit?
O deus, humanæ si vitæ tempora certa
Digeris, & menses annumerare placet,

Si

Si tuus ordo manet ſtabilis, ſi fixa voluntas,
Si queat ad poſitos addere nemo dies:
Attamen indulge ſpatium, quò ſpiritus æger
Viuere dediſcat, diſcat & indè mori.
Sic homo promptus erit venienti cedere fato,
Cum memor antè ſuæ conditionis erit.
Nam quaſi mercedem, ſic vitam ſumimus omnes,
Semper vt arbitrio ſtetq́ue, cadatq́ue dei.

DISCIPLINA CHRISTIANORVM morum. Tobiæ.4.

PErcipe, mi fili, vocis præcepta paternæ,
Sermo meus, vitæ ſit tibi norma tuæ.
Me cum fata vocant, corpus compone ſepulchro,
Non tibi ſit vilis, ſed veneranda parens.
Semper honorato matrem, ſic dirige vitam,
Vt facias, mater quæ tua facta velit.
Fac animo repetas, cum te geſtauit in aluo,
Temporis illius quanta procella fuit.
Quando deus ſtatuit vita diſcedere matrem,
Corpora cum noſtro corpore iuncta cubent.
In domino maneat ſemper tibi fixa voluntas,
Et tua peccati crimine vita vacet.

Quæ dominus præcepta dedit, contemnere noli,
Iustitiæ placeat cultus, iniqua fuge.
Donec enim purus viues sine labe malorum,
Omnia diuino numine læta fluent.
Iustitia quisquis vitam traducit honestam,
Eius erunt summa prosperitate dies.
Sparge facultates, vt fratrum postulat vsus,
Quamq́ feres inopi, ferto libentèr opem.
Pauperibus noli duros auertere vultus,
Ne deus auertat lumina sancta tibi.
Vt patiuntur opes, fratri largire petenti,
Tempore pro duro, sic tibi condis opes.
Liberat interitu clemens largitio vitam,
Nec tenebris mergi te tua dona sinent.
Munera largiri domino gratissima res est,
Semper & authores præmia certa ferunt.
Moribus à sanctis absit scortatio fœda,
Sola tuo coniunx sit tibi iuncta thoro.
Vxor ab antiquis veniat maioribus orta,
Aduena, coniugio non erit apta tuo.
Stirps etenim sanctis descendit nostra Prophetis,
Nous erat noster, noster Abramus erat.

Noster

Noster Isacus erat, nostris adiunge Iacobum,
Hæc vetus est nobis annumerata tribus.
Omnibus vxores propria de stirpe fuerunt,
Prole fuit fœlix turba fauente deo.
Dilige cognatos, & cum vis esse maritus,
Ex propria sponsam fac tibi gente legas.
Pectore pellatur fastus, pellatur ab ore,
Fastus ad interitum præcipitare solet.
Fastus habet lites, offensis fastus abundat,
Atq; ferox tandem fastus egere facit.
Namq; nimis tumidum quem res fecere secundæ,
Hunc sequitur duro tempore nuda fames.
Soluere mercedem nunquàm differto merenti,
Sic deus ipse tibi, quando merere, dabit.
Omnibus in factis omnes circumspice partes,
Consilio, vitæ fac modereris iter.
Quod tibi tu velles nunquàm contingere posse,
Hoc fratri nunquàm feceris ipse tuo.
Vina nec ad luxum sumas, sumantur ad vsum,
Ebrietas nunquàm sit tibi iuncta comes.
Quando fames vrget fratres, apponito mensam,
Corpora quando rigent frigore, nuda tege.

Ex opibus quicquid superest, tribuatur egenti,
Læta sit in donis dextera larga suis.
Maxima iustorum maneat tibi cura virorum,
Non tamen assuescat pascere mensa malos.
Consilio sapiens semper tua facta gubernet,
Quæ sapiens fieri præcipit, illa tene.
Supplice mente tuum dominum fac semper adores,
Et pete, te recta ducat vt ille via.
Dirigat vt recto cursu vestigia cæca,
Tempora consilijs donet vt apta tuis.
Consilio gens nulla valet, deus omnia solus
Suggerit, ex solo sunt bona quæq; deo.
Deijcit & dominus, cum fert sua sancta voluntas,
Quoslibet, & qua vult nos ratione premit.
Hæc igitur, fili, mea pectore verba reconde,
Hæc tibi non animo deleat vlla dies.

ORATIO DOMINICA.

O Pater noster, pater ô verende,
Qui tenes cælum, dominans in astris,
Sit tuum nomen veneratione
Supplice plenum.

Qui

Qui regis reges, subigisq; regna,
Cuius in toto volat orbe virtus,
Præsto sit regnum, tua sit propinqua
Summa potestas.

Quo modo cœlum tibi seruit omne:
Terra sic sese tibi dedat omnis,
Et suo semper tua stet voluntas
Firma vigore.

Da tuis gnatis, pater ô benigne,
Indies quicquid ratio requirit
Debilis vitæ, tua nos perennis
Copia pascat.

Crimen & clemens miseris remitte,
Quo modo nos cum violamur, illis
Parcimus, quorum meruere iustam
Crimina pœnam.

Nec sinas, quos ex nihilo creasti,
Nos, tuam prolem, pretio redemptam
Sanguinis Christi, vitijs nefandas
Dedere mentes.

Sed tuos seruos dominus tuere,

Et pater gnatos reuoca ruentes,
Culpa ne mentem, simul atq; corpus
Turpis obumbret.

PRECATIO EX AVGVSTINO.

OMnipotēs, clemensq; deus, miserere querentis,
Ad gemitus oculos quæso reflecte meos.
Sum miser, & reus, & quoniam peccata placebant,
Conueniens vitijs hæc mihi pœna venit.
Quæq; dies aliqua culpa facit esse nocentem,
Debita peccatis dat mala quæq; dies.
Quando ego, quæ feci, mecum peccata reuoluo,
Criminibus minor est, quam fero, pœna meis.
Vita mihi vitijs est omni parte referta,
Supplicium meritis mitius esse scio.
Iustus es ô deus, & non est vindicta seuera,
Tardior est nostris vltio lenta malis.
O pater omnipotens, homo cum nihil esset in orbe,
Voce tua est tellus facta repentè caro.
Quæ caro, peccatis cum perdita tota fuisset,
Est mirabiliter carne redempta dei.
Non temerè ferimur, nec nos fortuna gubernat,
Tu deus es vitæ, dux es & ipse viæ.

Ergò creaturas clemens nos respicis omnes,
Præcipuè seruos speq́, fideq́, tuos.
O deus exaudi, supplex tua numina posco,
Ne sint peccatis æqua flagella meis.
Subueniat potius misero clementia summa,
Namq́ malis hæc est omnibus vna salus.
Et quoties iustis plectis mea crimina pœnis,
Me toties firmo pectore redde deus.
Semper vt inflictam vincat patientia cladem,
Et dolor vt laudes poßit habere tuas:
O miserere deus, miseri miserere petentis,
Siuè deest anima, corpore siuè deest.
Omnia tu supple. Nam solus & omnia nosti,
Solus & es, nobis qui dare cuncta potes.

ALIA PRECATIO EX EODEM.

NE venias iustus iudex, ô dulcis Iesu,
Nam mea me faciunt crimina multa reum.
Propitius venias nobis mansuete redemptor,
Atq́ creaturæ tu miserere tuæ.
Ira reo parcat, miserum clementia seruet,
Nec memor offensæ, sed memor esto precum.

Deprecor ecce tuas iras, ô mitis Iesu,
Nomine, seruator, re, manifesta salus.
Nominis ergò tui memor, & virtutis Iesu,
Anchora sis animæ non remouenda meæ.
In bonitate tua residet fiducia nostra,
Nam mihi sperandi tu deus author eras.
Quærere nos seruos, pulsare, rogare iubebas,
Quæque petissemus te bona velle dare.
Obsequor, & pulso iussus, quæroque, petoque,
Tu deus hæc serui fac rata vota tui.
Me deus infirmum recrea, fulcique ruentem,
Restitui vitæ mortua membra iube.
Instrue tu sensus, ac omnia dirige facta,
Vita voluntatis sit mea serua tuæ.
Hoc satis agnosco, quòd me tua dextra creauit,
Mancipiumque tuum, me deus esse scio.
Compedibus satanæ strictus, cum iure trahebar,
Tu mea soluisti vincula, factus homo.
Sic ego me certè tibi plus quàm debeo totum,
Sed mihi, qua possem reddere, nulla via est.
Sum tuus, atque tamen tibi consecrare meipsum
Non queo, ni tua sit gratia præsto mihi.

Suscipe

Suscipe me deus, & quando vis vlla resistit,
Mancipio sanctas inijce quæso manus.
Sic in amore tuus fuero, studioq́ placendi,
Ortu sicut ego sum tuus, atq́ statu.

ALIA EX EODEM.

ECce meus plastes, video me multa rogasse,
Pauca sed ex multis non meruisse scio.
Heu fateor, meritis non sunt bona debita nostris,
Est potius sceleri, debita pœna meo.
Omnibus ex donis, tamen est clementia summa,
Præcipueq́ tibi gratia sola placet.
Non etenim spernis quenquam, non abijcis vllum,
Sed resipiscenti porrigis vltrò manus.
Ergò deus, cornuq́ meæ, portusq́ salutis,
Perditus ante tuos, ecce, procumbo pedes.
Crimina detestor, quibus es mihi redditus hostis,
Illa mihi dominum surripuere meum.
Sed tamen hoc noui, quòd si resipiscere possum,
Tu deus ad veniam spontè paratus eris.
Ad te si redeo, redeuntem sumis in vlnas,
Si moror, expectas quando venire velim.

Corrigis

Corrigis errantem, detrectantemq́ propellis,
  Extimulas tardum, neſcia corda doces.
Suſcipis afflictum, ſuſtentas atq́ ruentem,
  Et tua proſtratum gratia tollit humo.
Quod petimus, dabitur, quod quærimus, inuenietur,
  Et cum pulſamus, ianua laxa patet.
Tu mihi monſtraſti rectæ veſtigia vitæ,
  Ne loca deflectens per tenebroſa vager.
Si bene ſeruiero, Paradyſi gaudia ſpondes,
  Si malè, me Satanæ flammea regna manent.
O deus indulgens, noſtræ patrone ſalutis,
  Concute quæſo tuo pectora noſtra metu:
Prouidus horribiles vt pœnas ante repellam,
  Quas tua peccatis vltio iuſta feret.
Gratia diuinis accendat pectora flammis,
  Gaudia quæ ſpondes, vt mihi donet amor.
Inſtrue corda deus, linguæ ſua ſuggere verba,
  Facta, tibi quæ ſint complacitura, doce.
Nunc etiam noui, te mens ſummiſſa iuuabit,
  Ac anima eſt humilis, res pretioſa deo.
Hæc igitur concede mihi tibi munera grata,
  Firmus & in noſtro pectore duret amor.

Tempora si fuerint belli, defende timentem,
Spes mea sis, quando sæua procella venit.
Deniq; quando premit subuersum turba malorum,
Tu mihi sis illo tempore certa salus.
Ecce deus, mea vota tibi, mea vulnera pandi,
Me deus ad cœli regna beata vehe.

ALIA EX EODEM.

O Deus emolli cor, vt resipiscere poßit,
Spiritus afflictus sit, fugiensq; mali.
Exhibeant oculi verum lachrymando dolorem,
Ac animi testis sit mea dando manus.
O deus accensas carnis restinguito flammas,
Et tuus in nostro pectore flagret amor.
Gratia debellet fastum, mansuete redemptor,
Mens summissa mihi sit, metuensq; tui.
Irarum tollas æstus, seruator Iesu,
Quicquid erit duri, mens patiendo ferat.
Non odium nostro considat pectore fixum,
Tota mihi mens sit candida, felle carens.
Da mihi, summe pater, fidei impenetrabile scutum,
Spes animo maneat constabilita meo.

Semper amor fratrum tantus mea corda pererret,
Illis vt prosim, non secus atq; mihi.
Non ego sim vanus, nec mens incerta vacillet,
Nec peregrinetur cor leuitate vagum.
Sermo verecundus fugiat scurrilia verba,
Præterea fastu lumina nostra vacent.
Ingluuies ventris, spargendi falsa libido,
Moribus omnino sint aliena meis.
Non ego detractor, nec opum sim magnus amator,
Nec quid agant alij, sit mihi scire labor.
Gloria nec fuco mentem titillet inani,
Dißimulatoris fraude carere velim.
Cura mihi maneat, quæ debet fratris egeni,
Et manus infirmos subueniendo leuet.
Deniq; non miseram claudat blasphemia vitam,
Hoc scelus horrendum, spe veniaq; caret.
Ne temerè per iniqua ruam, me, summe creator,
Dirige, sit menti pax requiesq; meæ.
Excute torporem, destilla mentis acumen,
Flexilis ac animus prouida verba notet.
O pater, obtestor te, natum propter Iesum,
Effice clementem me, rogo, redde pium.

Sic

Sic & amabo tuum nomen, numenq; timebo,
Sic etiam læsis fratribus ipse querar.
Fastus & absistat fratres contemnere promptus,
Aggreger ad iustos, auferar atq; malis.
Fac, vt in aduersis rebus patientia constet,
Rebus & in lætis, mens moderata detur.
Lingua malo careat, quo contra numina peccem,
Vel contra fratres, quo reus esse queam.
Gratia cœlestis minuat mihi gaudia mundi
Lubrica, quæ parui temporis aura tenet.
Gratia cœlestis Christi me quærere regnum
Permoueat solum, quod sine fine manet.

QVIBVS REBVS CONSISTAT vera precatio.

VT *pia diuinas oratio manet ad aures,*
Sex ea præcipuas debet habere notas.
1 *Sit stabilita fide, nec in vlla parte vacillet,*
2 *Sit breuis, & fugiat tædia longa moræ.*
3 *Et vehemens animi magno feruore feratur,*
4 *Ac repetat varias multiplicata vices.*
5 *Nomina per Christi, placemus numina patris,*
6 *Plena sit officio vita, maloq; vacet.*

DE RATIONE RECTE CONstituendæ vitæ.

VT tibi præceptis mens confirmetur honestis,
Sex animo semper sunt repetenda tuo.
1 Principio deus est noster seruator, & author,
2 Hostis in opposita stat regione, Sathan.
3 Tertia res præsens est vita, simillima ventis,
4 Mors sequitur, nobis quæ propè semper adest.
5 Ordine sunt quinto, cœli palatia summi,
6 Tartara sunt sexto constituenda loco.
Hæc animo tacitè secum qui sæpè reuoluit,
Miror in hoc, vitij si quid inesse potest.

DE VINDICTA DIVINA.

VLtio peccatum sequitur, delinquere noli,
Nam scelus admissum pœna seuera premit.
Quodsi fortè dei clementia differat iram,
Sera licet veniat, certa venire solet.
O nimium fœlix, hæc quisquis vera putabit,
Et timet irati fulmina iusta dei.

CONTRA EVANGELICORVM hostes, precatio.

SVrge deus, dextra seruos attolle cadentes,
Impius irato fulminat ore Satan.

Tempora

Tempora terribili iactantur dira tumultu,
Vi trahitur virtus, induit arma furor.
Lex oppressa silet, regnat pro iure libido,
Fastus & insanis territat astra minis.
Nos, tua progenies, Christi quos gloria tangit,
Qui colimus vero nomen honore tuum,
Cædimur, & trahimus per mille pericula vitam,
Vndiq; nos agitat sanguinolenta manus.
Strangulat hos laqueus, rota ferrea distrahit illos,
Pars perit in flammis, obruta pars in aquis.
Hîc gladios, illîc vibrat tormenta tyrannis,
Et varia tepidam strage cruentat humum.
Quis furor, ô fratres, tantas exuscitat iras?
Vndè venit nostri sanguinis ista sitis?
Est pater in cœlis vnus, seruator & vnus,
Vna caro est, vnum nomen, & vna fides.
Vincula sed pacis, matrum discordia rumpit,
Proh dolor, ex isto tot mala fonte fluunt.
Nos colimus matrem cœlesti patre creatam, Primitiua Ecclesia.
Quam sibi pro chara coniuge, Christus habet.
Cuius ab vberibus suxerunt verba Prophetæ,
Cuius erat soboles, turba vetusta patrum.

Christus

Christus eam veniens tenero nutriuit amore,
Discipulis eius cura relicta fuit.
Huius erant matris testes, & Apostolus omnis,
Et veteri quisquis tempore Martyr erat.
Huius adhuc durant custodes Biblia sacra,
Quæ stabilem faciunt inuiolata fidem.
Moribus ista pijs incorruptissima mater
Floruit, ad sponsum respiciendo suum.
Sancta, benigna fuit, clemens, & plena pudoris,
Officij retinens, integritatis amans,
Omnia distribuens, condonans omnia, verax,
Immemor offensæ, sed benefacta notans,
Deniq; virtutis mater fuit ista repertrix,
Atq; manet vitæ fixa columna piæ.
Ecclesia. Romana *Altera nomen habet matris, Romana nouerca,*
Sol nihil hoc monstro tetrius esse videt.
Fastus inest, luxuq; fluit, sectatur honores,
Cura boni non est vlla, nec vlla dei.
Verborum fumos, & rerum venditat vmbras,
Atq; nisi fucum nil pietatis habet.
Ipsa sibi leges ponit, positasq; retexit,
Helluo nummorum, munera magna vorat.

Se

Se iubet orari, coram se prona iacere
  Omnia, quantumuis aurea sceptra gerant.
Degener hoc animal sanctorum sanguine gaudens,
  Membra venenato sauciat ore dei.
Pelle lupam, reuerende pater, quæ dente cruento,
  Dilacerat sparsos, non saturata, greges.
Te sequimur, sponsamq́ tuam, tua iussa tenemus,
  Integra de cœlo, spesq́, salusq́ venit.
Summè deus, tua nos miseros clementia seruat,
  Vuicus es pastor, nos & ouile sumus.
Prospice de cœlo, tumidos disperde gygantes,
  Sacrilega cupiunt vi tua templa rapi.
Nos licet indigni, Christum tamen aspice dignum,
  Sanguine qui lauit vulnera nostra suo.
Dira nouerca fremit, vitiorum septa cohortẽ,
  Nosq́ tuas, nullo vindice, mactat oues.
O deus, huc oculos ad seruos flecte ruentes,
  Occidat in medijs impia turba minis.
Vel tua præteritam condonet gratia culpã,
  Vna sit & nobis, vt fuit antè, parens.
Sic erit ex Saulo Paulus, sic bella sequetur
  Tristia, iucundæ pacis amanda quies.

O vtinam

O vtinam dignos tali nos fœdere ducas,
O pater, ô noster ter venerande deus.

SCOTIA DEBELLATA.

ANglia cantet Io, claris euecta triumphis,
Cantet Io, Scoticis subuersis Anglia rebus.
Euge Scotus cecidit, vi debellatus, & armis,
Nunc cecidit, rapitur, trahitur, nunc Anglia vincit,
Anglia præstanti nunc præstantißima rege,
Anglia regina florens, & milite summo,
Anglia quæ ducibus magnis, & milite forti
Affluit, & partas post se trahit inclyta terras.
Nobilis ingenio gens, Anglia, nobilis armis,
Anglia nunc lætis effundat gaudia rebus.
Sæpè Scotos fregit, fractos & sæpè fugauit,
Anglia nunc fractos strauit, stratosq; peremit.
Sæpè resurrexit clades oblita priores,
Sæpè relicta Scotus victus remeauit ad arma.
Nunc iacet, & nostro semper sub rege iacebit.
O homines, ô gens semper durißima flecti,
Heu quoties vobis rex clementißimus vnus
Parcit, & inducto sanciuit fœdere pacem.

Heu

Heu quoties miseri, perrupta pace, fideq́;
Arma resumpsistis, vobis funesta futura,
Et patriæ, vestro vitio, culpaq́;, ruenti.
Discite nunc tandem regi seruire Britanno,
Anglia quo fœlix fœlici rege triumphos
Sæpè tulit claros, & nunc fert, sæpè feretq́;.
Viuat rex, regum lumen, reginaq́; viuat,
Viuat & eximius princeps, viuatq́; Senatus.
Anglia postremò concisis inclyta Francis,
Vlta Scotos, Francosq́; domans, inuicta sit armis.

DE EDOVARDO
principe.

E xigit eximios, princeps clarissime, versus,
D ebita virtutum meritis laus summa tuarum.
O puer excellens, patriæ flos, gloria patris,
V iribus ipse tuis, ô princeps maior, & annis:
A lta deus regni prouidit sceptra futuri,
R egis honorandi princeps vt nobilis esses.
D otibus egregijs tibi mens conferta relucet,
V t generi summo par sit natura beata.
S ic stirpem virtus, virtutem stirpsq́; sequetur.

P erge puer, patris diuini gemmea proles,
R umpe moras, extolle tuos, puer auree, vultus.
I to per insignes, insignior ipse, triumphos.
N aturam patris, fortunam, pectus, & annos,
C lara dehinc tibi regna patris, sed sera, precamur.
E st pater, est regnum, par est insigne sororum.
P er multos annos, momentaq; maxima rerum,
S it tua, sit generisq; tui fortuna beata.

DE TRIVMPHO PROPTER pacem suscepto.

TEmpora temporibus succedunt prospera duris,
In medias lachrymas gaudia magna cadunt.
Horrida præteriti sanantur vulnera belli,
Occupat & veterem pax reuocata locum.
Impia serrati consedit militis ira,
Nec tuba dat vasto murmura rauca sono.
Non quatiunt muros bombardæ fulmina diræ,
Barbarus in cultos non ruit hostis agros.
Tristia non metuunt gnatorum fata parentes,
Non metuit formæ damna puella suæ.
Horrea securus distendit plena colonus,
Adnatat ex omni merx sine clade loco.

Non hominum iugulos gladiator percutit audax,
Imbuit armatas nulla rapina manus.
Ferrea ſanguinei ceciderunt prælia Martis,
Obruta bellorum fax, ſine luce, iacet.
Aurea ſe paribus librans concordia pennis,
Colligat in ſtudium pectora noſtra pium.
Intrat in eximias vrbes, & rura peragrat,
Nobilis à cœli pax reuoluta polo.
Feſta volat ſtudijs pax optatiſſima noſtris,
Quaq; venit plauſus, lætitiamq; vehit.
Sceptra tenens ſolio ſe pax imponit auito,
Et fora perfundens corda quiete rigat.
Omnia floreſcunt, tellus, & pontus, & aër,
Commoda tranquillæ maxima pacis habent.
Claßica qui tenuit claro reſonantia ferro,
Ponitur ad cultæ dulcia plectra lyræ.
Peruigil in caſtris tota qui nocte cubabat,
In propria lectum nunc habet ille domo.
Qui metuens alios, author fuit ipſe timoris,
Vulnera nulla capit, vulnera nulla facit.
Sanguine mercedem qui collegere cruentam,
Ex opibus viuit turba quieta ſuis.

Alea quos pauit, quos nutrijt impia cædes,
 Nunc facit hos proprius viuere posse labor.
Mutua funestis sternentes corpora campis,
 Mutua concordi commoda mente parant.
Humida, quæ fuerat multorum cæde virorum,
 Incipit in segetes terra redire nouas.
Atq; cadaueribus proiectis, nubilus aer
 Sese aperit, cupiens quo fuit esse statu.
Pontus erat totus telis constratus, & armis,
 Nunc mare propitio flumine vectat opes.
Omnis erat classis periuro milite plena,
 Nunc socios iungit classis amica viros.
Deniq; Saturni perierunt tempora dira,
 Et viget hæc ætas principe digna Ioue.
O deus, ô vero qui nomine Iupiter esse
 Diceris, in celsa qui præis arce poli,
Summe deus, venerande deus, spes vnica vitæ,
 Cuius ab æterno numine cuncta fluunt:
Quòd tua sustulerit nostros clementia luctus,
 Horrida quòd pacis prælia vincit amor,
Marte quòd extincto, nos mutua fœdera iungunt,
 Quòd peregrina venit pax renouata domum:

Supplice quanta potest tibi gloria voce rependi,
Tanta tibi nostro manat ab ore deus.
Summe deus, pacem, nostros miserate labores,
Qui facis, hanc facias posse manere diù.
Proximus es Christo, rex præstantißime regum,
Nominis octauum qui diadema geris.
Sit tua maiestas, rex inuictißime, salua,
Cuius inest omnis nostra salute salus.
Gallia te, nostra causa, conspexit in armis,
Anglia te lætum, est læta sequuta ducem.
Nunc populi verus pastor, post bella remota,
Das iterum pacis iura quieta sacræ.
O decus armorum, claris Henrice triumphis,
O etiam puræ gloria prima togæ:
Viue diù fœlix, fœlices viuere seruos
Qui facis, ô regni dux patriæq; pater.
Sis etiam fœlix Noruici turba beata,
Commoda quæ regni pacis alumna foues.
Quas ego te vidi lætam iactare corollas?
Gaudia quæ vidi? quanta trophæa tua?
Templa, domus, vici, pretioso splendida cultu,
Musica præclaro sparsa sonora foro.

Canitiæ

Canitie veneranda cohors, florensq́ iuuentus,
Signa dabant animi commemoranda pij.
Digna tuis certè pax est præclara triumphis,
Atq́ tuus dignus pace triumphus erat.
Nos deus, & regnum, regemq́ in pace gubernet,
Et Noruice tibi commoda multa ferat.

DE PACE BRITANNICA ANNO
primo Edouardi sexti.

TEnde deo lætas, ô fœlix Anglia, palmas,
Anglia concordi gens fœlicissima pace.
Gallia bellorum sæuis concussa procellis,
Horrida sanguinei deponit fulmina Martis.
Et tandem sapiens, Scotiæ vicinia facta,
Optatæ cæpit paci summittere fasces,
Aurea supremo veniens concordia cœlo.
Salue dux nostris ô præstantissima rebus,
O salue niueis pax formosissima pennis,
Grata deo, iucunda viris, terræq́ mariq́,
Tempestiua, tuos quæ fundis ad omnia fructus.
Obsita funestis bellorum nubibus omnis
Anglia, perplexis fuerat depressa tenebris.
Hinc Scotus insiluit, iacit illinc fulmina Gallus,
Mænia

Mænia bombardis quatiens amissa cruentis.
Sed tamen & bello fœlix, & pace beata,
Viribus vsa suis, se nobilis Anglia texit.
Gallia pone minas, communia fœdera iunge,
Vicinusq́; Scotas, vicinos diligat Anglos.
Pande sinus, reseraq́; tuos, pax gemmea, vultus,
Virtutis custos, & relligionis alumna.
O deus, ô veræ pacis venerabilis author,
Cuius ab æterno concordia numine fluxit,
Fac maneat stabilis, fac robur tempore sumat,
Quæ venit ad nostram pax diuinißima gentem.
O deus, asserua regem, regisq́; senatum,
Et fac perpetuos conclusæ pacis alumnos.

PERPETVA EST MVTATIO TVM animi tum corporis.

LVbricus incertis iactatur motibus orbis,
Posteriora nouos apportant tempora casus.
Ipse homo, diuinum, solers, ratione refertum
Est animal, partes & circumspectat in omnes.
Sydereis mens lapsa polis, est numine plena.
Iungitur humorum concordi semine corpus,
Ordine membrorum præstans, formæq́; decore.

Tempora

Tempora sed tacitis praeterlabentia pennis.
Forma ruit, vires languent, artusque fatiscunt.
Sanguine miscetur bilis, bilisque cruore.
Frigida viscosam fundit pituita saliuam.
Liuida tum febris, gregibus comitata dolorum,
Aestibus interdum flagrans, modò frigore torpens,
Agmina succedunt morborum multa nouorum,
Haec caput infestant, & tentant saeua cerebrum,
In manibus quaedam volitant, in poplite quaedam
Considunt, omnes in partes corpora versant.
Haec iugulis haerent, haec vsque ad pectora manant.
Dura fames ventrem premit, & sitis arida guttur
Vrit, & in tacitos labuntur lumina somnos.
Succedunt operae somno, curaeque quieti,
Tristia iucundis miscentur, prospera duris,
Atque adeò toto nihil est in corpore firmum.
Mens magis ipsa sibi dissentit, concipit audax
Vota, per ancipites fertur non territa casus.
Cum timet, exiguos pauet exanimata susurros.
Nunc amat, ac orbem totum postponit amori,
Orat, & oratur rursus, terretque, timetque,
Cogitat, & meminit, quae sunt praesentia curat,

Prae-

Præteritos voluit casus, voluitq; futuros.
Ergò deus mentes nobis, & corpora iunxit,
Per quæ continui fluxus, motusq; peragrant.

QVÆ FIERI NON POSSVNT, ne coucupiscas.

QVi vult esse miser suapte sponte,
Hunc verè miserum licet vocare,
Ergò, qui sibi multa concupiscunt,
Quæ nulla ratione comparari
Possunt, hos miseros licet vocare.
Nam sunt hi miseri suapte sponte.

TEIPSVM NE NEGLIGAS.

MVlta quidem multis tribuamus, at omnia nobis,
Ille sapit verè, qui sapit ipse sibi.
Propria natura quæ sunt, sint propria fructu,
Sitq; tibi semper maxima cura tui.

TALIS FIT QVISQVE, QVALES ij sunt, quibuscum viuit.

SI cum bonis viuunt viri,
Qui nec boni sunt, nec mali,
Ii sunt citò boni viri.

Si cum malis viuunt viri,
Qui nec boni sunt, nec mali,
Ii sunt citò mali viri.
Si cum bonis viuunt boni,
Utriq; fiunt optimi.
Si cum malis viuunt mali,
Vtriq; fiunt pessimi.
Sic & boni faciunt bonos,
Sic & mali faciunt malos.
Ergo bonus si vis fieri,
Cum his viuito, qui sunt boni.
Rursus malus si vis fieri,
Cum his viuito, qui sunt mali.

COGIMVR AD SVSCIPIENDVM
Pub. munera.

EST *homini cognatus homo, mens omnibus vna,*
Dispar doctrinis, discendi munere par est.
Corpora corporibus respondent, sensus eadem,
Itq; reditq; via, simili sunt ordine membra.
Nec magis ipsa sibi similis res vlla videtur,
Quam similes natura viros, facit omnibus omnes.
Quos igitur iunxit, naturæ prouida cura,

Fœdere

Fœdere perpetuo iungat sententia concors.
Nemo suum quærat, nec enim sibi nascitur vllus,
Commoda communi tractemus publica mente.
Ponderibus librata suis, & robore florens,
Priuatis certos fundit respublica fructus.
Saucia cum fractas perdit respublica vires,
Singula cum toto labuntur corpore membra.
Prouidet, has vitiis plagas, sapientia iuris,
Vt qua quisq; potest communia munera parte
Suscipiat, nec ab his vlla se segreget arte.
Prætor enim iussus, vel consul Titius esse,
Vel iudex, frustrà de se depellit honorem.

AD ELISABETHAM PRINCIPEM.

FOElix rege parente virgo, fœlix,
Fœlix principe fratre virgo, fœlix,
Fœlix & Maria tua sorore,
Fœlix relligione puriore.
Fœlix moribus, innocentiaq;,
Fœlix corpore, mente virgo fœlix.
Fœlix Elisabetha quæ fuisti,
Fœlix sis sene patre rege posthac,

Fœlix principe fratre grandiore,
Fœlix coniuge sis tuo futuro,
Fœlix prole, scientiaq́ fœlix,
Fœlix corpore cresce, mente cresce,
Fœlix Elisabetha sic maneto.

AD SVFFOLCIENSEM DVCEM.

CORpore non possum, sed possum mente venire,
Qua licet, hac venio, dux venerande, via.
Omnibus in rebus me pressit morbus acerbè,
Sed tamen in vobis durior ille fuit.
Nam neq́, cum vellem, poterat me frater habere
Carolus, ingenio clarus, & arte, puer,
Nec te nunc præsens præsentem cernere possum,
Cuius inest formæ, forma decora patris.
Exulat ex oculis etiam, lectissima mater,
Fœmina doctrinæ vera figura piæ.
Ferreus ô morbus, qui tot mihi commoda tollit,
Omnibus officijs qui mihi claudit iter.
Opto tamen vobis, & matri cuncta secunda,
Et maneat vestrum, me pereunte, decus.
I modò charta, meæ fidissima nuncia mentis,
Corporis & causam fac sapienter agas.

In

IN MARCVM TVLLIVM Ciceronem.

O Decus, ô splendens Romanæ gloria gentis,
Virtutis specimen, vitæ præceptor honestæ.
O Cicero doctos inter doctißimus omnes,
Cur tua, temporibus nostris, non iuncta fuerunt?
Cur tua non licuit præsentes ora videre
Præsentis? cur non tecum nos viximus vnà?
Cur tua verba deus sacrum non vertit ad vsum?
Cur tua non venit seruator Christus in ora?
O quantùm nostram iuuisses relligionem?
Gloria quanta deo, per te, quæsita fuisset?
Viuere dignus eras, nostris, ô Marce, diebus,
Digna fuit rebus summis facundia summa.
Sed quoniam deus, hoc nunc sic effecit vt esset,
Quod domino placuit, nobis placet, ergò valeto.

IN EVNDEM.

VIS eloquentiam tibi?
An vis sapientiam dari?
Vtramq; Tullius tibi,
Solus dabit facillimè.

IN EVNDEM.

QVI simul prudens velit, & disertus
Esse, præsentes peragret libellos.
Sic enim prudens, simul & disertus,
Efficietur.

AD NOBILEM QVENDAM PVERVM.

ACcepi paruum, tibi paruum mitto libellum,
Vtq; tuus nouus est, sic tibi mitto nouum.
Das mihi Germanum, Germanum reddo vicissim,
Vt tuus est varius, sic etiam meus est.
Non dubito magnum studiũ quin paruus haberet
Hessus, item Charion plenus amore venit.
Fœlicem fœlix annum iubet esse poëta,
Historiæ Charion imperat author idem.
Ergò liber libro respondet, votaq; votis
Conueniunt, annus par sit vtriq; nouus.
Sic ego præclarus prodibo repentè poëta,
Sic & in historia, te licet esse ducem.
Cresce puer, versaq; manu virtutis auitæ
Maxima, quæ præsens dat, monumenta, liber.
Nam Charion patrios repræsentatq; labores,
Maioremq; tuo te docet esse patre.

DE MVSICA.

MVsicen primùm docuit voluptas,
Musices auxit studium voluptas,
Musices vsum retinet voluptas,
Gaudia fundens.
Musicen lusit placidus Cupido,
Musicen lusit Cytherea mollis,
Musicen lusit cithara suaui
Clarus Apollo.
Musice mentes tenuit virorum,
Musice sensus tenuit ferarum,
Musice montes, & aquas, & ornos
Sede remouit.
Musice summis dominatur astris,
Musice terræ dominatur imæ,
Musice ponto dominatur alto,
Cuncta pererrans.
Musice mentis medicina mœstæ,
Musice multum minuit malorum,
Musice magnis, medijs, minutis
Maxima mittit.

Vxor

VXOR NON EST DVCENDA.

OMnis ætatis comitem proteruam,
Omnium morum sociam dolosam,
Omnium rerum dominam superbam
Sumere durum est.
Quæ tuum secum cupiat dolorem,
Quæ tuas risu lachrymas sugillet,
Quæ minas, fletus, & acerba tecum
Iurgia tractet.
Quæ tuam pœnam redimat salutis
Propriæ lucro, pariatq; prolem,
Quæ patris falso titulum sonabit
Ore, molestum.
Quæ tuas iras, strepitus inanes,
Quæ tuas voces, sine mente verba,
Quæ tuos lusus, aconita dira
Credere possit.
Quæ tuas muris putet esse vires,
Quæ tuos corui putet esse cantus,
Quæ tuas musas putet esse agrestis
Carmina Fauni.

Quæ

VXOR EST DVCENDA.

OMnis ætatis comitem perennem,
Omnium morum similem sodalem,
Omnium rerum dominam fidelem
Sumere suaue est.
Quæ tuum tecum doleat dolorem,
Quæ suas tecum lachrymas profundat,
Quæ iocos, risus, & amœna tecum
Gaudia tractet.
Quæ tuum vultum redimat salutis
Propriæ damno, parietq́ prolem,
Quæ patris nomen tenero sonabit
Ore, iucundum.
Quæ tuas iras, Iouis esse fulmen,
Quæ tuas voces, Iouis esse nutus,
Quæ tuos lusus, Iouis esse nectar
Credere poßit.
Quæ tuas Martis putet esse vires,
Quæ tuos Phœbi putet esse cantus,
Quæ tuas musas putet esse sacras
Palladis artes.

Quæ tuam linguam putet esse ranæ,
Quæ tuas vrsi putet esse carnes,
Quæ tuum scrophæ timidæ pedorem
Iudicet esse.
Quæ tibi charos Stygia palude,
Quæ tuos fructus Acheronte nigro,
Quæ tuam vitam magis expauescat
Manibus ipsis.
Vxor temporibus, moribus, & locis,
Naturam variè distribuit suam,
Nunquam prospiciens coniugis vsibus.
Ergo si tibi vis omnia progredi,
Vitæ perpetuo fac careas malo.

PRÆCEPTA CONIVGII.

MARITI POSTVLATA.

VXor, si cupias mihi placere,
Semper prima dei, secunda nostri,
Tum sit tertia cura liberorum.
Ædes fac sine sordibus nitere.
Mensæ prospice, prouide puellis.
Vultu sis hilari, tamen modesto.
Mores sint faciles, tamen pudici.

Quæ tuam linguam putet Hermis ora,
Quæ tuam formam Veneris figuram,
Quæ tuum sacræ Triuiæ pudorem
Iudicet esse.
Quæ tuos hostes Stygia palude,
Quæ tuas clades Acheronte nigro,
Quæ tuum funus magis expauescat
Manibus ipsis.

Vxor temporibus, moribus, & locis,
Naturam variè distribuit suam,
Semper prospiciens coniugis vsibus.
Ergò si tibi vis omnia progredi,
Vitæ perpetuo ne careas bono.

PRÆCEPTA CONIVGII.
VXORIS RESPONSA.

MI vir, si mihi charus esse curas:
Me solum colito quasi teipsum.
Sic tu proximus es deo futurus,
Sic nostros ego liberos fouebo.
Fac vt tuta domus sit, & salubris.
Nec desint ea, quæ requirit vsus.
Exercere tuos stude ministros.

Vestis sobria sit, vacetq́ labe.
Cum lætus fuero, dolere noli,
Nec cum tristis ero, decet iocari.
Et quemcunq́ vides mihi placere,
Fac hunc esse tibi putes amicum.
Quicquid dixero, ne palam refelle.
Clam, quod displicet, admonere debes.
Arcanum tibi si reuelo, cæla.
Nec te suspicio sinistra vexet.
Si te læsero, vulnus indicabis.
Me si commoueas, fatere crimen.
In lectum veniat nihil querelæ.
Somnus sit modicus. Precare manè.
Cum surrexeris, occupata viue.
Non credes nimium, parum loquêre.
Nec coram tibi disputare fas est.
Responsare caue, caueq́ murmur.
Te coniunge bonis, malos relinque.
Sit vitæ probitas, fidesq́ linguæ.
Morum deniq́ sit pudor magister.
Hæc si feceris, in sinu iacebis.

Sit comis tibi vox, sit os serenum.
Si vis temporibus tuis vt vtar:
Et tu tempora nostra scire debes.
Quantum vis tribui tuis amicis,
Tantum fac tribuas meis amicis.
Seruis iurgia dura fac reserues:
Et me leniter admoneto solam.
Mecum liberius licet iocari,
Nec me reijcies nimis seuerè,
Tecum lætior esse, si requiram.
Et me non satis est tibi placere,
Sed sciri volo te bonum maritum.
Me si non sinis esse suspicacem:
Causam suspicionis amoueto.
Quantumcunq; dies tulit laborum,
Nox secum placidam ferat quietem.
Non absis temerè domo, diuuè.
Quicquid pollicitus procus fuisti,
Nunc præstare maritus id memento.
Si me Penelopen habere speras,
Fac vt te mihi præbeas Vlyssem.

EX ANGLICO IN LATINVM.

Sobria virgo, sibi quæ vultu menteq́ constat,
Et Iuuenis frugi, veneris naufragia vitans,
Fidus, & aduertens coniunx, non peßima credens,
Et mulier prudens, tractabilis, atq; pudica:
Quatuor hæc quærunt omnes, vix reperit vllus.
Maxima sic nostræ bona sunt rarißima vitæ.

IN REBELLES NORFOLCIENSES.

Occasura tuo, Norfolcia cæca, furore,
Quæ rabies humeris induit arma tuis?
Impetus à solita quis torsit corda quiete?
Quis grauis astrinxit pectora dura stupor?
An quia vicinos fregit vis vestra colonos,
Sparsaq́ sunt subitis oppida pauca minis?
Angulus an vnus quia tecum fœdera iunxit,
Venit & ad prædas nuda caterua nouas?
Propterea latè regni volitare per oras,
Ausa es, & in summo celsa sedere loco?
An, quia digna tuo tardabat crimine pœna,
Distulit & clemens iusta flagella deus?

Idcircò

Idcircò dormire deum, regemq́ putabas?
Et quia sera forent verbera, nulla fore?
Desine vana tuis promittere gaudia rebus,
Numinis irati fulmina celsa time.
Horrisono venit tempestas magna tumultu,
Incidit in vestrum plaga cruenta solum.
Feruidus irarum tristes effudit habenas,
Quaq́ venit, latè funera mœsta facit,
Ille Comes, ille, ille Comes Dudleius heros,
Et Varwicensis gloria summa soli.
Hunc præclara cohors animis insignis, & armis
Insequitur, ducibus subdita quæq́ suis.
Quid faciat miserum vulgus? quò terga reflectat?
Nunc via prostratis nulla salutis erit.
Latebra non abdet montis, non sylua recondet,
Vndiq́ te vindex implicat ira dei.
Pone animos vulgus miserandum, tendito palmas,
Sæpè truces frangunt lenia verba minas.
Proiјce ferratos fustes, adrepito supplex,
Vis eat, & virtus barbara corda domet.
Sit licet horribilis vestri violentia motus,
Fortè ducis nostri gratia maior erit.

Gratia fortaßis, quantumuis maxima, vincet
Crimina, si veniam, quo decet ore, petas.
Spiritus ille ferox, & ad omnia iura rebellis,
Vultibus ex vestris pectoribusq; migret.
Discite tranquillam pacem, dediscite bellum,
Discite plebs, plebem quo decet esse loco.
Tu verò regni, rex inuictißime, nostri,
Tuq; simul summi, turba beata, ducis:
Patria læta sinus pandens vos excipit omnes,
A quibus est patriæ publica parta quies.

AD PVRIVM.

CArmen tibi fœlix fluit,
Annus tibi fœlix fluat.
Annus nouus si sit tibi
Fælix, mihi fœlix erit.
Artes putas veras opes,
Ego dabo veras opes.
Artes enim dabo tibi.
Purum tibi puro, Puri,
Librum dabo multiplici
Scientia præstabilem.
Tantùm stude quantùm potes,

Tantùm potes quantùm velis.
Sic, mi Puri, fœlix eris,
Et sic egò fœlix ero.
Quia tuos fructus meos
Puto futuros, mi Puri.

AD N. I.

M*Vnera si faustos annos transmittere possunt,*
Et venit ex paruo gratia tanta loco:
Munera muneribus coniungat amicus amicis,
Sic ibit fœlix annus vtriq; nouus.

AD I. N.

A*Vspicium fœlix, venturi mittimus anni,*
Auspicium, solo quod valet auspicio.
Exiguum pretio, sed votis diues habebis
Auspicium, solo quod valet auspicio.

AD BRVDNELLVM.

F*Ertilibus fœlix agris, opibusq; beatus,*
Fœlici fœlix coniuge, prole, domo,
Et studijs fœlix, quæ dat tibi musa prophana,
Et studijs, affert quæ sacra musa tibi,
Præteritis fœlix annis, Brudnelle, recente
Sis fœlix anno, quem vebit ista dies.

AD D. COXVM.

VIx caput attollens è lecto scribere carmen,
Qui velit, is voluit scribere plura, vale.

RESP. D. COXI AD HADDONVM.

TE magis optarem saluum, sine carmine fili,
Quàm sine te saluo, carmina multa, vale.

IN ANGLICAM DIALECTICAM
Thomæ Wilsoni.

GRammatice lingua nos est affata Britanna,
Curreret vt latijs lingua Britanna rotis.
Nunc Logice venit, & nostris se vocibus affert,
Vt ratio nostros poßit habere sonos.
Ante peregrinis linguis instructa fuisti
Anglia, nunc propria discere voce potes.
Grammaticen laudant omnes, quia verba poliuit:
Qualis erit Logice nos ratione regens?
Attulit hanc nostras Thomas Wilsonus ad aures,
Vtilis & patriæ sic fuit ille suæ.

IN ANGLICAM RHETORICAM
eiusdem Thomæ Wilsoni.

RHetoricen, Logice soror est affata sororem,
Quem didicit nuper, sermo Britannus erat.

Rhetorice tacuit, magna perculsa dolore:
Nam non dum nostro nouerat ore loqui.
Audijt hæc, Logices Wilsonus fortè magister
Qui fuerat, nostros addideratq; sonos.
Rhetoricen mutam, verbis solatus amicis,
Seuocat, & rogitat num esse Britanna velit?
Deijciens oculos respondit velle libenter:
Sed se, qua poßit, non reperire, via.
Ipse vias, inquit, tradam, legesq; loquendi,
Quomodo perfectè verba Britanna loces.
Liberat ille fidem, nostro sermone politur
Rhetorice, nostra est vtraq; facta soror.
Anglia, nobilium si charus sermo sororum
Est tibi, sermonis charus & author erit.

IN LIBRVM PARTITIONVM
sagittariarum Rogeri Aschami.

MIttere qui celeres summa velit arte sagittas,
Ars erit ex isto summa profecta libro.
Quicquid habent arcus rigidi, neruiq; rotundi,
Sumere si libet, hoc sumere fonte licet.
Aschamus est author, magnum quem fecit Apollo
Arte sua, magnum Pallas & arte sua.

Docta manus dedit hūc, dedit hūc mens docta libellū:
Quæ videt ars, vsus visa parata facit.
Optimus hæc author quia tradidit optima scripta,
Conuenit hæc nobis optima velle sequi.

IN LIBRVM ALCHYMIÆ THOMÆ
Nortoni Bristoliensis.

MAximus ingenio, scribendi maximus arte
Thomas Nortonus, primarum semina rerum,
Atq; metallorum venas tellure sepultas
Eruit, ac imæ subit intima viscera terræ.
Mellea secretos promit facundia sensus,
Atq; vias omnes cudendi colligit auri.
Ars licet hæc, auri fontes opulenta recludat,
Attamen est auro longè pretiosior author.

IN NVPTIAS RODOLPHI ROVleti, & Thomæ Hobęi, qui duas D. Antonij
Coci filias, duxere vxores eodem die.

MArgaritam Roulete tuam fac mente recondas,
Gemma sit vt tuto tam pretiosa loco.
Sit frater fratri similis, sit filia patri,
Sic vir erit dignus coniuge, sponsa viro.

Virtute

VIRTVTE NON VI.

VIs trahit inuitos, virtus facit esse volentes,
Vis furit, at virtus cum ratione mouet.
Corpore vis regnat, virtus in mente triumphat,
Vis pecudes, virtus nos facit esse viros.
Vis igitur valeat, virtus super omnia vincat,
Aut vis virtutem, serua sequatur heram.

HOMINVM ÆTATES.

IN cunis infans sine sensu, & mente recumbit,
Indè puer leuitate sua bona tempora perdens,
Post adolescentis temeraria cernitur ætas,
Et ruit in luxum iuuenis, vir captat honores,
Quærit opes senior, magnos & cogit aceruos.
Vulnera naturæ sunt hæc inimica nouercæ.

PRECATIO AD TEMPORA ILlustrissimæ reginæ Mariæ accommodata.

ANglia, sæpè tuis diuina potentia rebus
Adfuit, & sæuis te tempestatibus actam,
Impulit in portum saluam, terraq; locauit.
Ista tamen postrema dei clementia, miris
Luminibus fulsit, radijsq; illustribus arsit.

Ambitione volans, cæcaq; cupidine regni,
Exacuit ferrum nimis immoderata potestas.
In tenebris miseri iacuerunt obruta regni
Sceptra, ruit vario discordia mista tumultu.
Ipse sibi dispar secum pugnare senatus,
Frendere nobilitas, incerto murmure ferri
Vulgus, & ancipites turbarum voluere fluctus.
Cum ratione furor pugnat, cum iure libido,
Vis trahit inuitos, armis terretur honestas,
Officium pauor, & verum violentia frangit.
O tenebras regni spissas, ô tempora dura,
Turbine quis tanto raptatos colliget artus
Anglia? quis laceris corpus componere membris,
Quis solitum poterit repræsentare decorem?
Tu deus, æterno qui dirigis omnia cursu,
Cuius inexhaustis manat clementia riuis.
Tu deus è cœlo spectans, nostriq; misertus,
Aspera magnorum tollis tormenta malorum.
Classica ciuilis belli tu concita frangis,
Tu reuocas lætam pacem, tu pectora sedas
Turbida, discordes animos tu fœdere iungis.
Fœmina virgo venit, descendens stemmate regum,

Fœmina

Fœmina virgo venit, Mariæ prænomine digna.
Salue flos regni, salue lectißima gemma,
Salue de cœlo lapsum venerabile sydus.
Optima sis nobis, & fœlicißima princeps,
Auxilium fractis fer mansuetißima rebus.
Fratris vt es regni, sic sis pietatis & hæres.
Iustitiam serua, demißis parce, superbos
Contere, virtuti sit honos, doctrina colatur.
Fac tueare bonos, nec falsa calumnia quenquam
Opprimat, ipsa tuos & ames, & ameris ab illis.
Rex tibi frater erat, mors illum funere mersit,
Morte cades regina soror, mortalia durant
Nulla diu, proprio se carpit tempore vita.
Hanc supreme deus, regno qui ponis auito,
Anglia cui fasces summittit læta supremos,
Imbue diuino sanctißima pectora succo,
Semper vt ad cœlos sursum sua lumina tollat.
Vinciat & pietas, communis & alliget ardor
Mutuus in Christo, studijs consentiat omnis
Nobilitas rectis, populus tractabibilis artes
Suscipiat pacis, regniq; statuta sequatur.
Aurea perpetuis omnes concordia vinclis

Nectat, vt ad patrem communem supplice voce,
Iunctorum fratrum communia vota ferantur.

CARMEN CONSOLATORIVM IN rebus afflictis S. Principis Elisabethæ.

Est deus, estq; deo certissima cura suorum,
Semper habent iustæ pondera magna preces.
Sæpè suum differt diuina potentia numen,
Crescat vt in tardo tempore prompta fides.
Sæpè deus cessat, sed tandem surgit, & audit,
Corporis & curat saucia membra sui.
Obsidio miseros Iudæos dura premebat,
Atq; suo caruit iusta querela deo.
Ingreditur tandem votis, & vindice dextra
Iudith, Olopherni demit, & ense, caput.
Sæpè Susanna manus supplex tendebat ad astra,
Sed medicina tamen nulla doloris erat.
Truditur ad mortem stupri damnata cruentam,
In media Daniel morte patronus ades.
Elisabetha parens Baptistæ, mater vt esset,
Sæpè precata fuit, sæpè repulsa fuit.
Distulit in longum tempus diuina potestas
Vota, sed est tandem, reddita mater, anus.

Elisa-

Elisabetha diù multorum mole malorum
Obruta, sæpè pio voluis in ore preces.
Sæpè deo tristes casus, & acerba dolorum
Vulnera proponis, sæpè requiris opem.
Non venit ad votum subitò: tibi crescat vt ardor
Mentis, & in cœlo discat habere locum.
Distulit auxilium, sed tandem numine pleno
Spiritus adueniens, pectora mœsta leuat.
Spiritus ille leuat, qui Christi membra beati,
Multa premi patitur, nulla perire sinit.
Fide deo, succurre bonis, reuerere sororem:
Sic tibi perpetuus cursus honoris erit.
Elisabetha vale, Christo gratissima virgo,
Chara pijs princeps, Elisabetha vale.

IN QVANDAM NOBILEM FOEMINAM.

EST Venus in vultu, docto tibi Pallas in ore
Præsidet, ad digitos clarus Apollo venit,
Mercurius linguam moderatur, Cynthia mores,
O dea digna deo, dignaq; Iuno Ioue.

IN EANDEM.

SI maneas virgo, liber est te virgine dignus,
Si fueris coniux, coniuge dignus erit.

Si tua te viduam sors tristis fecerit esse,
  Aptus erit viduæ tum liber iste tibi.
Sic quæcunque tibi fuerit fortuna parata,
  Conueniens omni parte libellus erit.

IN MORTEM THOMÆ
Withedi Stochiensis.

IN cineres tandem Thomas Withedus abiuit,
  Finijt & vitæ tempora longa suæ.
Vixerat ille diù, sed semper viuere dignus,
  Si quisquam semper viuere dignus erat.
Sed quia non potuit, mortali mole grauatus,
  Corpore deposito, viuere mente parat.
Vita diù præsens fecit te viuere Thoma,
  Mors veniens semper viuere posse facit.

IN OBITVM D. MARTINI BVCERI.

GErmanis ô flende tuis, ô flende Britannis,
  Omnibus ô terris flende Bucere iaces.
Te schola nostra suum desyderat orba magistrum,
  O schola sublato debilitata duce.
Membra quidem Christi sunt nobis multa relicta,
  Sed caput his membris quod fuit, illud abest.

Et caput excellens, quo toto doctius orbe
Non fuit, & non est, nec fore, credo, potest.
Vita fuit similis doctrinæ, sancta probatæ,
Vtraq; laus illi propria semper erat.
Summe deus, lucem nostris infunde tenebris,
Pectora scripturis, imbue cæca sacris.
Qui fuit & tuus, & noster, nunc desijt esse
Noster, & in cœli parte Bucerus inest.
O Martine vale, Christi præclare minister,
O Cantabrigiæ gemma, Bucere, vale.
Est tua conditio fœlix, qui fæcibus ægri
Corporis abiectis, gaudia mentis habes.
Nos miseri, nostro qui te pastore remoto,
Ibimus incertis inscia turba vijs.
Tu deus, ô nostri communis pastor ouilis,
Martino similem præfice, quæso, virum.
Sic simul in cœlo ciuis potes esse Bucere,
Et simul in terris esse Bucere potes.

IN OBITVM SVFFOLCIENSIVM fratrum, ducum illustrissimorum.

Nobile par fratrum, matris dulcissima cura,
Hinc ruit Henricus, Carolus indè ruit.

Quid faciat mater, si non deus esset in illa?
Clamet, & abijciat se, cupiatq; mori.
Quid facit, vt nunc est? Christum patienter adorat,
Et benè cum Christo pignora iuncta putat.
Viue diu fœlix, longa dignissima vita,
Cuius in auditum gratia robur habet.
Antea iure tuis gnatis, es dicta beata,
Maius in illorum funere nomen erit.
Gloria viuorum, præsentis gloria mundi
Et fuit, & mundi casibus apta fuit.
Sed quòd in illorum veneraris funere Christum,
Hæc tibi de cœlo gloria missa venit.
Vos etiam dulces pueri, dum mundus habebat,
Arbitrio mundus voluerat ipse suo.
Nunc simul in gremio patris recubatis Abrami,
Qui locus æterna vos requiete beat.
Ergò vale vita fœlix, & funere fœlix,
Atq; pia proles matre beata, vale.

IN EOSDEM.

ET viuos colui meos alumnos,
Et nunc prædico mortuos alumnos.

Vos dulces pueri, valere vester
Haddonus iubet, vt poteſt iubere.
Feci, quæ potui, licere plura
Vellem, plura libentèr exhiberem.
En, charis mihi charior puellis
Excellens Catarina, viue fœlix.
Et quos non poterant habere gnati,
Hos annos tribuat deus parenti.
Hoc debet pietas tibi precari,
Doctrinam decet hoc & apprecari.
Nam communis es vtriusq́ mater.

AD ANGLOS VT RESIPISCANT.

ANglia, cur ſaccos differs, cineresq́ recuſas?
Anglia, terribili fulmine tacta dei.
Forſitan expectas Ionam, iam venit, & aures
Verberat, & ſacro detonat ore minas.
Sed tibi non proſunt oracula ſancta prophetæ,
Ludis, & in luxu tempus abire ſinis.
Inſequitur Ionam iuſto deus ipſe furore,
Spargit & horribili tela cruenta manu.
Tu tamen in crapula ſtertis, ſcelerumq́ ſepulchro,
Et nimis infœlix euigilare nequis.

Cum populi rabies fodit tua viscera ferro,
Principis & fregit iussa verenda sui,
Cum tibi de toto manauit corpore sanguis,
Et proprijs fluxit viribus ille cruor:
An tibi de cœlo non visa est virga venire
Ferrea, supplicio quæ fera corda domet?
Sed tibi dura manent, & pectora plena malorum,
Oblinis & vitijs te scelerata nouis.
Indè venit miseranda fames, & turpis egestas,
Altera contempti virga tremenda dei.
Negligis, & rides, totoq; ex orbe rapinas
Colligis, & partas ebria fundis opes.
Colligis, & quæris, quæ post malè perdere possis,
Luxus auaritiæ est duxq;, comesq;, tuæ.
Quò ruis oh demens, mundi ludibria captans?
Cur fugienda petis? cur cupienda fugis?
Imminet iratus duris ceruicibus vltor,
Librat & in cladem spicula prompta tuam.
Pestifer obuolitat sudor, subitoq; peragrat
Corpora, lethali pectora tabe terens.
Et prius obrepit, quàm præsentiscere possis,
Et prius extinguit, quàm tua damna vides.

Sed

Sed tamen est summi clementia maxima patris,
Fumigat, at flammæ non sinit ire faces.
Anglia tolle caput, funestas cerne ruinas,
Ad dominum tandem respice cæca tuum.
Est pater, est dominus, pater est, si diligis illum,
Neglige, tum domini te grauis ira premet.
Ter deus è cœlo tonuit, ter fulmina torsit,
Ne sine supplicio, te sinat esse malam.
Ter deus intentos posuit lenißimus arcus,
Ut, monitam pœna, te sinat esse bonam.
Anglia fac vigiles, hæc vltima tempora vitæ
Sunt data, vel melior, vel fore nulla potes.
Si melior fueris, decedent vndiq; nubes,
Atq; dabit lucem lux tibi vera nouam.
Sed tua peccatis si pectora stricta tenentur,
Miles eris Sathanæ, mors tibi finis erit.
Mors animæ sequitur, peccati debita merces,
Exitus vndè tibi nullus adesse potest.
O deus, humani generis, mundiq;, monarcha,
Cuius in imperio condita regna latent,
Parce tuo regno, quod si non ipse gubernes,
Dextera deiectum nulla leuare potest.

Tu

Tu deus es noster, vitæ morumq; magister,
Tu pia virtutis semina solus habes.
Tu nisi custodis vrbes, nisi mœnia seruas,
Utilitas nostri nulla laboris erit.
Anglia de sacris scripturæ fontibus hausit,
Integra sermoni vita sit apta sacro.
Absuit hæc, & abest, hæc te reuocante redibit,
Hanc nisi tu dederis, reddere nemo potest.
Sed dabis hanc nobis, & tum reuirescere nostra,
Instaurata tua, corda videbis ope.
Anglia tunc hymnos supplex, & carmina fundet,
Atq; tuum vero nomen honore colet.
Anglia regnorum princeps, reginaq; mundi
Tunc erit, & domino grata ministra suo.

IN DOMINVM IOHANNEM
Clerum, Equitem.

CLarus Ioannes, gentili nomine Clerus,
Ex varia belli laude citatus eques,
Ad mare descendit præfectus claßis, & hostes
Persequitur Gallos, vrit & igne rates.
Indè alios vicit ponto congressus aperto,
Atq; freto tutam fecerat esse viam.

Sed

Sed nimis infœlix animo maiora volutans,
In Scotiæ portu seq́ue, ratesq́ue, locat.
Kirkina iuncta fuit, quò mercatura Scotorum
Vndiq́ue conuehitur, turris & intus erat.
Irruit hic audax Clerus, biduumq́ue remansit,
Interea nostris Kirkina præda fuit.
Clere quid expectas, victor, terraq́ue mariq́ue:
Cur teris hostili tempora longa solo?
Non semper fortuna fauet, quos sæpè leuauit,
Obruit, & tandem sæua perire sinit.
Cur nimium speras? non semper dormiet hostis,
Verus honor, iustum debet habere modum.
Venit acerba dies, fatalis & imminet hora,
Iam Scotus armatus rure profectus adest.
Diffugiunt nostri, desertis vndiq́ue signis,
Clerus & in vacua stat propè solus humo.
Obsecrat, hortatur, clamat, quò perfide miles,
Quò ruis? hic Scotus est, huc tua tela volent.
Patria te reuocat, dux te tuus inuoco miles,
Et tua te prohibet prodere signa fides.
Dum queritur, frustrà vires clamando profundens,
Et Scotus aduentat tristia fata minans:

Aduolat ex seruis vnus, prenditque lacertum,
Immemoremque sui littus adire monet.
Rettulit ille nihil, sed pectora vertere turmas
Imperat, hanc vnam rem repetendo petit.
Ut vidit certamque fugam, turbasque Scotorum,
Quo sua sit, quærit, cymba relicta loco.
Subsidium vitæ solum, fortuna remorat,
Cymba petita fuit, nulla reperta fuit.
Tunc animo magno curis oppressus, & armis,
Ingreditur pontum solus, & æquor arat.
Voluitur ad cymbam, poteras hîc viuere saluus,
Sed tibi successus sors inimica negat.
Graius enim mersos humeros ex æquore tollit,
Pondere sed rursus decidit ipse suo.
Cærula demersum tenuerunt æquora Clerum,
Nec potuit vitæ post reperire viam.
Sed dedit egregium Clero fortuna sepulchrum,
Et pia iactari fluctibus ossa vetat.
Præsul enim mortis sortem miseratus acerbam,
Condidit in sacra nobile corpus humo.
Et quoniam corpus patriæ seruiuit honori,
Spiritus in cœlo stet tuus ante deum.

IN MORTEM COMITIS VARVICENSIS.

CLarus Ioannes, Dudleiæ gloria gentis,
Quem natura bonum fecit, fortuna beatum,
Exijt è vita, primis ereptus in annis.
Gratia, nobilitas, vires, prudentia, virtus,
Et pudor ingenuus, custosq́ modestia morum,
Omnibus & comis sese clementia præbens,
Lumina viuentis comitis præclara fuerunt.
Ergo vale propria fœlix virtute, paterna
Infœlix culpa, crudelibus obrute fatis.
O iuuenis miserande vale, quem viuere iußit
Principis excellens clementia, sæua sed atras
Iniecit mors atra manus, & funere mersit.

IN MORTEM DOMINI Matrauersi, comitis.

NObilis Henricus qui Matrauersius heros,
Stirpis Arundeliæ maiorum nomine prisco,
Dictus erat, genus atq́ suum de gente trahebat
Fitzallenorum, comitum virtute potentum,
Quem pater excellens florentem viderat armis,
Artibus, ingenio, dulci sermone fluentem,
Consilio plenum, cuius transcenderrat annos

Ante diem virtus veniens, grauitasq́ue virilis,
Clade ruit subita, generosam gloria mentem
Dum subit, & nimium iuuenili pectore feruet.
Cæsaris ad fratrem, Maria hunc regina Britonum,
Legauit, iuuenem clarum, lectissima princeps.
Fertur equis, volitansq́ue via peruenit ad aulam
Cæsaris, & summa commissum laude peregit
Munus, & ad magnam profluxit gloria famam.
Sed venit in medios febris funesta triumphos,
Tabificaq́ue lue teneros depascitur artus.
O miserande puer, nimiumq́ue oblite salutis
Ipse tuæ, nimium patriæ memor, atq́ue parentis,
Cur ita festinas? magnum est, moderare laborem.
Sic patriæ seruire decet, seruire frequenter
Vt liceat, seroq́ue tuo succrescere patri.
Sed tibi fortè placet vitam pro laude pacisci,
Nec metuis mortem, tanto quæ splendet honore.
Gloria non poterat certè contingere maior,
Si tibi sexcentos donasset Iupiter annos.
Primæ causa viæ fuit, & tibi causa laboris,
Funeris atq́ue comes processit Cæsaris aula.
Sic, ô sic superi, iuuenis dignissimus astris,

Fœlicem vitam conclusit morte beata.
Cum Mariæ regnum quarto processerat anno,
Iulius extremam lucem quam mensis habebat,
Illa eadem, claro iuueni, lux vltima fulsit.
Quattuor à lustris vnum si dempseris annum,
Hæc Matrauersi morientis habebitur ætas.
Sic Titus est Cæsar primis ereptus in annis,
Sic puer est, princeps Eduardus, morte reuulsus.
Parce pater lachrymis: ô Anglia siste dolorem.
Fata fauent nulli, mors imminet omnibus hostis.
Quod licet, hoc vnum Shelleius ore diserto
Præstitit, vt grato nomen sermone celebret:
Et tuus Haddonus, magnus viuentis amator,
Ista tibi ponit studij monumenta prioris.
Iamq; vale, pubis nostræ lectissima gemma,
Quo post Eduardum maius nil Anglia vidit.

IN OBITVM DOMINI IOANNIS Checi, Equitis.

DOctrinæ lumen Checus, morumq; magister,
Aurea naturæ fabrica, morte iacet.
Non erat è multis vnus, sed is omnibus vnus
Profuit, & patriæ lux erat ille suæ.

Gemma Britanna fuit, tam magnum nulla tulerũt
Tempora thesaurum, tempora nulla ferent.

EPITAPHIVM MARIÆ BACONÆ.

PRimitias ventris Mariam dedit Anna Baconã,
Sed venit in Mariæ parua Susanna locum.
Huc deus adde nouem, decimum tibi sumito partum,
Sic decimas mater, primitiasq; dabit.

IN OBITVM IACOBI HADdoni, fratris sui.

OMnibus in rebus mihi coniunctißime frater,
Cuius erat vitæ vita medulla meæ,
Quomodo, quos similis mundi fortuna premebat,
Nos tua diuersis mors facit ire vijs?
Terrea me religant constrictum vincula carnis,
Spiritus & tuus est liber in arce poli.
Anxia durarum me rerum cura fatigat,
Nauigat in portu mens tua, iuncta deo.
Me status excruciat præsens, metus atq; futuri,
Sed tibi parta manet tempus in omne quies.
O tempestiua fœlicem morte Iacobum,
O vtinam fratri iungar & ipse meo.

IN EXHVMMATIONEM, ET restitutionem D. Martini Buceri.

ERgò tuos cineres effodit dira tyrannis?
Credidit & nullos esse Bucere deos?
Non ita, sed deus est summus virtutis amator,
Et grauis admissi criminis vltor erit.
Frende Satan, iaculare minas, & concute dentes,
Nulla dies Christi lædere membra potest.
Tristia præclari flagrabant busta Buceri,
Cum Satan igniuomo sparserat ore faces.
Sed domini clemens extinxit dextera flammas,
Atque nouo cineres fecit honore coli.
Sic pietas tandem victrix super æthera scandit,
Subijcit & Christo colla superba Satan.

EPITAPHIVM LODOVICI Viuis Valentini.

VIuit adhuc Viues, æternum viuere dignus,
Nec poterit virtus tam memoranda mori.
Fœlices Brugæ, talis quas hospes amauit,
Atque solum fœlix, quo pia membra cubant.

Fœlices illum qui progenuere parentes,
Fœlices tantum qui coluere virum.
Notior hoc vno est præclara Valentia ciue,
Corduba quam Senecis vota duobus erat.
Stoica iactabant Senecæ ludibria cæci,
Omnia sunt Viuis dogmata, plena deo.
Doctior aut melior fuerit dubitatur, at illo
Doctior aut melior, nemo profectò fuit.
Mors saturam studijs vitam matura peremit,
Sic mihi, sic claudant fata suprema dies.

EPITAPHIVM THOMÆ MASONI.

THomæ Masono dederat natura, decoris
Quicquid habet, dederat gratia, quicquid habet.
Prouida cura patris claras adiunxerat artes,
Atq; peregrino fecerat ore loqui.
Flos erat ætatis per tertia lustra pererrans,
Cum venit in thalamos, sponsa decora, pares.
Vndiq; vita fuit rebus cumulata beatis,
Abfuit à summa prosperitate nihil.
Inuida mors plenas lethali frigore palmas
Inijcit, & cinis est, qui puer antè fuit.

Et puer eximius, multis dignissimus annis,
Aspera si meritis cedere fata velint.
Sed via fatorum cursu pocedit eodem,
Et sua quemque dies non reuocanda trahit.
Concidit heu teneris princeps Eduardus in annis,
Nullus erat toto talis in orbe puer.
Nobile par fratrum cecidit, Suffolcia proles,
Atque dies binos sustulit vna duces.
Obruit & tristi Matrauersum funere casus,
Clarius hoc puero vix tulit vlla dies.
Tu Masone pater, doctrina fretus, & vsu,
Desine mœsta tuæ vulnera flere domus.
Mortuus est Thomas, iuuenili laude refertus,
Tollere plus potuit, quàm dare longa dies.
Nascendi lex est communis, & est moriendi
Lex eadem, tempus ponit vtrumque deus.

IN OBITVM DOMINÆ
Ianæ Somersetensis.

INgenio præstans, & vultu Iana decoro,
Nobilis arte fuit vocis, & arte manus.
Hinc Venus, & Pallas certant vtra debet habere,
Vult Venus esse suam, Pallas & esse suam.

Mors fera virgineo figens in pectore telum,
Neutrius (inquit) erit, sed mihi præda iacet.
Corpore Iana iacet, tellurem terra subibit,
Sed pius in cœli spiritus arce sedet.

IN OBITVM N. POINTZI EQVITIS, ex Anglico clarissimi viri Th. Henneagij.

PEr medios mundi strepitus, cæcosq́ tumultus,
Turbida transegi tempora, Pointzus eques.
Nullus erat terror, qui pectora frangere posset,
Mens mea perpetuò quod quereretur, erat.
Nunc teneo portum, valeant ludibria mundi,
Vita perennis aue, vita caduca vale.

IN OBITVM DOMINÆ ELISABETHÆ, Marchionissæ Northamtoniensis.

ELisabetha fuit naturæ iure Cobama,
Coniugis & proprio nomine Parra fuit.
Forma, pudor, pietas, facundæ gratia linguæ,
Ingenium, virtus, inuiolata fides,
Cum grauitate lepos, cum simplicitate venustas,
Larga manus, pectus nobile, firmus amor,
Deniq; quicquid habet natura quod addere possit,
Addere quod possit, gratia quicquid habet,

Omnia viuentem Parram comitata fuerunt,
Omnia mors atrox obruit ista simul.
Obruat ista licet tristi mors sæua sepulchro:
Attamen illorum fama superstes erit.

IPSE DE SE.

NOn mihi corpus erat, viuum fuit antè cadauer,
Mors veniens, morbi sustulit omne genus.
Terra tegit terram, mens summis mentibus hæret,
Optima mors, salue, pessima vita, vale.

ANGLIÆ PROSOPOPOEIA.

ANglia littoribus quamuis inclusa marinis,
Non habeo magnos insula parua sinus:
Me tamen illustrem maiorum fama meorum
Fecit, & vt celebri nomine digna forem.
Non ego me iacto, proprias non effero laudes,
Sed mea, quam refero, gloria, numen habet.
Terra mihi segetes effundit diuite vena,
Pascua præpingui fertilitate tument.
In gremio fluuijs riui miscentur amænis,
Gurgitibus rapidis & vada pura meant.

Nobilis antiquo nutat cum robore quercus,
  Et nemorum grato spirat odore viror.
Visceribus medijs errant pretiosa metalla,
  Diuitiæ crescunt intus, opesq; foris.
Maxima diuini sunt hæc monumenta fauoris,
  Sed bona sunt alijs ista minora bonis.
Me deus eripuit terris, cœloq; locauit,
  Discipulum Christi fecit & esse sui.
Depulit errores, quos tempora cæca vehebant,
  Prisca fides, veteri cum pietate, redit.
O venerande pater, parui miseratus ouilis,
  Tendo tibi lætas, supplice voce, manus.
Sit mihi, quæ nunc est, scripturæ regula sacræ,
  Atq; meo maneat nomen in ore tuum.
Excitet ardentes virtus in pectore flammas,
  Æmula doctrinæ sit pia vita piæ.
Floreat Elisabeth exoptatissima princeps,
  Præsit & in membris hoc sine labe caput.
Hoc caput excellens tua præstet gratia saluum,
  Sic erit in toto corpore tuta quies.
Nobilitas concors viuat, concorsq; senatus,
  Iura locum teneant, artibus & sit honos.

Moribus

Moribus emineant puris, qui ſacra gubernant,
Sermo pius dux ſit, ſit proba vita comes.
Factio non laceret plebem, nec bella fatigent,
Pax maneat, noſtri dulcis amica ſoli.
Non ego plura rogo, quãquam ſunt plura roganda,
Tu deus ancillæ quæſo memento tuæ.
Chriſte deus, filiq́ꝫ dei, mea dirige vota,
Qui patris ad dextram plenus honore ſedes.
Spiritus è cœlis quaſſatos erigat artus,
Pectora ſic vires ſunt habitura nouas.
Multa licet peccem, nec adhuc ſine crimine viuam,
Leniat offenſas mœſta querela graues.
O deus exaudi, ſupplex te ſerua precatur
Anglia, præſentem flendo requirit opem.
Non ego ſum, fateor, tam magno digna fauore,
Filius eſt dignus, victima noſtra, tuus.
Sic ego grata tuum reuerenter nomen habebo,
Sic erit & gentis gloria ſumma meæ.

IN AVSPICATISSIMVM S. REGINÆ Eliſabethæ regimen.

ANglia, tolle caput, ſæuis iactata procellis,
Exagitata malis Anglia tolle caput.

Aurea virgo venit, roseo venerabilis ore,
Plena deo, princeps Elisabetha venit.
Quaq; venit, festos circumfert vndiq; ludos,
Undique, quà graditur, gaudia læta ciet.
Stella salutaris salue, præsentia serua,
Splendeat ex radijs terra Britanna tuis.
Formosum sydus, patriam caligine mersam,
Admota propius luce leuato noua.
Frigidus horribili Boreas terrore strepebat,
Atq; diù terras aspera læsit hyems.
Nunc Zephyrus mollis iucundas commouet auras,
Anglia vere nouo nunc recreata viret.
Tu deus ista facis, tu summi rector Olympi,
Prospiciens cœlo vulnera nostra vides.
Tu deus es solus, nostri medicina doloris,
Atq; tuis seruis tempore semper ades.
Tu deus in solio gemmam componis auito,
Quæ patriæ lucem sola referre potest.
Rettulit, atq; refert, poteritq; deindè referre,
Lumine si posthac luceat illa tuo.
Anglia tende deo palmas, & supplice voce
Spiritus ad dominum sæpè precando meet:

Elisa-

Elisabetha tuis seruis præfecta magistra,
Vt domino maneat fida ministra deo.
Sit pia, sit clemens, & sit virtutis amatrix,
Semina doctrinæ non peritura ferat.
Iustitiam colat, & disponat in ordine certo
Res, homines, terras, Anglia quicquid habet.
Consilijs rectis attentam præbeat aurem,
Et ferat oppreßis, quando rogatur, opem.
Fulminet in vitijs, & corda rebellia frangat,
Supplicibus parcat, quos meliora mouent.
In domini iusto maneat cultuq́ue, metuq́ue,
Sit similis princeps Elisabetha sui.
Et similem matri prolem moritura relinquat,
Viuere sic patriæ post sua fata potest.
Nos miseri, ferro, flamma, morboq́ue, fameq́ue,
Quos meritò tristis punijt ira dei.
Nos miseri, clemens domini quos dextra leuauit,
Et quibus ad cœlum est rursus aperta via.
Pectore syncero domini mandata tenere
Conuenit, & vera relligione frui.
Exeat ex regno libertas impia carnis,
Spiritus est liber, res placitura deo.

Mutua

Mutua nos firmo concordia pectore iungat,
Sic soboles patri grata futura sumus.
Inuide liuor abi, mendax infamia musset,
Turpis auaritiæ sordida lucra migrent.
Seditio sileat, tollatur iniqua rapina,
Sanguinis & sitiens, dira tyrannis eat.
Mentibus in nostris reuerentia principis insit,
Et populo faueas Elisabetha tuo.
Sic deus in regno tibi prospera tempora mittet,
Patria sic tecum viuere læta potest.

D. NICOLAO BACONO MAGNI sigilli Angliæ custodi, amico honoratissimo.

VT valeas, primùm capitis sit cura tegendi,
A stomacho crudos & remoueto cibos.
Sume bono succo vinum, panemq́ salubrem,
Ne sedeas, donec sis comedendo satur.
Nec Venus exhaustos absumat corporis artus,
Bacchus & à lecto debet abesse tuo.
Sit modus in victu, tibi sit modus atq́ laboris,
Non animum vexet mœsta querela tuum.
Vulnera fortunæ constans patientia frangat,
Tempora cum fuerint tristia, lætus eris.

Quam

Quam deus aßignat, contentus viuito sorte,
In tenui censu, corda quieta tene.
Credula non omnes admittant pectora voces,
Pauperibus non est inijcienda manus.
Sermo sit in mensa comis, moderare palatum,
Nec varios auida fauce vorato cibos.
Verba tibi non multa fluant, sed verba sequatur
Prompta fides, nulli sit tua lingua malo.
Ora, sibi quæ sunt contraria, semper abhorre,
Plena sit innocuo mensa faceta sale.
Nec domus in varias sectas diuisa trahatur,
Quos tibi vicinos sors tua fecit, ama.
Talis erit vestis, qualem fortuna requirit,
Crassa licet, membris sit tamen apta tuis.
Lis tibi semper obest, opibus te ditior vrget?
Cuius eras socius, turpiter hostis eris.
Si cadat inferior, nullam victoria laudem
Obtinet, officijs est retinendus amor.
Mane profecturum, Vulcanus nocte cubantem
Visitet, is cœli dira venena fugat.
Dum vigilas, domino supplex tua vota profunde,
Sic tibi res saluas efficit esse deus.

Pauperibus tua sit pietas, succurrere prompta,
Quosq; vides miseros esse, leuare para.
Sic tibi diuitias dominus cumulabit in arcis,
Et noua, cum magno fœnore, lucra dabit.
Crapula nocturno quæ diffluit ebria luxu,
Protinus est lectis eijcienda tuis.
Somnia seruorum caueas, & lumina sera,
Concitat ingentes flamma minuta faces.
Otia te lecti non matutina morentur,
Erige maturè corpus, & ito foras.
Ædibus emigrent, os mendax, tetra libido,
Lubrica nec partas alea iactet opes.
Lætitiam mensæ comitem seruare memento,
Fercula non debent somnia longa sequi.
Planta, caput, stomachus, sint contra frigus operta,
Nulla tuo sedeat pectore cura diu.
Vt tua res patitur, sumptus ratione gubernes,
In vitio semper plus erit, atq; minus.
Tempora quando negant, debes seponere causam,
Tempora quando ferant, indubitantèr agas.
Fallere iurando quenquàm scelus esse putabis,
Sis alacris, faciet cura repentè senem.

Pocula

Pocula manè caue, ni te sitis vsserit ingens,
Aura salutaris sit, facilisq́; labor.
Tempora mensarum potus legittima seruet,
In reliquis cesset, sit nisi magna sitis.
Sal nimius succos solet exhaurire salubres,
Ergo tuos modicè condiat ille cibos.
Deniq́; quicquid erit tua quod natura repellit,
Vel licet indè nihil, vel licet indè parum.
Ista meæ musæ si vis præcepta tenere,
Mens erit in sano corpore sana. Vale.

IN COLLEGIVM WESTMONASteriense restauratum nuper ab Elisabetha regina.

NObilis hæc domus antiquo memorabilis ortu,
Temporis ad varias est reuoluta vices.
Elisabeth tandem cœlo regina profecta,
Fecit vt æternum posit habere statum.

IN S. REGINÆ ELISAbethæ effigiem.

HEi mihi, quòd tanto virtus perfusa decore,
Non habet æternos inuiolata dies.

IN EFFIGIEM THOMÆ CRANMERI
Archiepiscopi Cantuariensis.

ET pius, & doctus, Thoma Cranmere fuisti:
Tempora læta deus, tempora dura dedit.

IN EFFIGIEM SVAM.

QVid facis ô demens, cur ora fugacia pingis?
Aut nouus, aut nullus cras mihi vultus erit.

IN EANDEM.

NOn ego sum tanti, sed mos est gestus amicis,
Cum tabula formam tollet auara dies.

IN EFFIGIEM SPECTATISSIMÆ
fœminæ Annæ Henneagiæ.

INgenio præstans, muliebri plena decore,
Ac, nisi quod laudes, hæc habet Anna nihil.

IN EFFIGIEM EDMVNDI
Halli Gretfordiensis.

COrporis effigies pictoris cernitur arte,
Mens latitat soli conspicienda deo.

DOMINO ROBERTO DVDLEIO,
illustrissimo Leicestriæ comiti.

OBuia te læto comitem Leicestria vultu
Suscipit, & potius vellet habere ducem.

Sed tamen, vt verum fatear, præclare Roberte,
Est via, qua comes, & dux simul esse potes.
Te comitem fortuna comes prosperrima fecit,
Et tibi dux virtus, te facit esse ducem.
Dux maneat virtus, comes & fortuna sequatur,
Sic patriæ fies gloria summa tuæ.

EIDEM.

TEnde deo palmas supplex, & vota profunde,
Siue vigil surgis, vespere siue cubas.
Et quoniam patriæ caput est, sit cura secunda
Principis, hanc vero pectore fidus ama.
Patria succedat, communia commoda quære,
Patria patronum te sciat esse suum.
Proxima sit tibi cura tui, propriæq; salutis,
Inuidia nunquam gratia magna caret.
Viuito syncerè, veris sis fidus amicis,
Nil temere credas, quæ facis, antè vide.
Suspitio vanis fallax rumoribus absit,
Amolire malos, auxiliare bonis.
Hostibus ignosces, illis sed fidito solis,
Quos tibi vel sanguis, vel sociauit amor.

Sis animo magno, vultu sis semper eodem,
Dissimilem nemo te probet esse tui:
Deniq; te qualem vulgò vis esse videri,
Perfice re vera, talis vt esse queas.
Viue, vale, multos numera fœliciter annos,
Vita tamen vitæ sit memor ista nouæ.

IN NVPTIAS GENEROSISSIMI
Thomæ Cecilij.

CEciliana suos arbor diffundere ramos
Incipit, & claro fructificare solo.
Sic, ô sic superi, magno de nomine nomen
Crescat, & in multis perpetuetur auis.
Omnia præclarum memorabunt sæcula patrem,
Gloria de tanto fonte perennis eat.
Quàm patriæ fœlix pater est, tam prospera patri
Sit soboles, voti summa sit ista mei.

AD LECTVM.

LEctule curarum requies, & meta laborum,
Otia qui tecum dulcia nocte vehis,
Da faciles somnos, insomnia vana repelle,
Fac grauis ex tristi corde querela migret.

Omnia deleto miseri ludibria mundi,
Hospitio gratus sic potes esse tuo.

RESPONSIO.

VT sim curarum requies, & meta laborum,
Sit vacuum pectus quando cubile petis.
Vt faciles habeas somnos, insomnia nulla,
Sit modus in victu, sit sine nube caput.
Deniq; fac lectum tibi credas esse sepulchrum,
Sic licet hospitio te recreare meo.

IN WOLFGANGI MVSCVLI LOCOS communes Anglicè versos, & insignia R.D. Cantuariensis archiepiscopi.

INtegra diffusi soluetur machina mundi,
Tollitur & toto quicquid in orbe placet.
Viuit in æternum dominus, quem nosse labora,
Musculus, vt possis nosse, magister erit.
Hunc tibi commendat commendatissimus ipse
Officio primas, primus & ingenio.
Natura claues habuit Parkerus auitas,
Præsul adoptiuas relligionis habet.
Addidit huc princeps stellas siuè nube serenas,
Luceat vt morum lumine sancta fides.

IN OBITVM DOMINI GVL. PAGETI.

NObilis ingenua descendens stirpe Pagetus,
Aulicus in magno vixit honore diu.
Quis melior? veteri patris qui laude triumphat,
Colligit an factis, qui decus omne suis?

EPITAPHIVM THOMÆ
Chalineri equitis.

NAtura Thomas Chalinerus, & arte valebat,
Utilis & patriæ vir fuit ille suæ.
Publica cum magna suscepit munera laude,
Laude pari libros scripserat ille domi.
Sic patriæ vixit magno, dum vixit, honore,
Sic patriæ magno concidit ille malo.

IN D. THOMAM HOBÆVM EQVITEM,
Parisijs dum legatione fungeretur, extinctum.

MOrs licet in Thoma multum properarit Hobæo,
Non tamen ante suum concidit ille diem.
Ingenio præstans, doctrina cultus, & annis
Integer, ingenuis moribus usus erat.
Diues, & instructus, præclara coniuge fœlix,
Quam faciat Phœbus, si queat, esse suam.

Egregi-

Egregiam prolem sexus vtriusq; reliquit,
Gratia tam magnas magna tegebat opes.
Addiderat princeps equitis memorabile nomen,
Vt meritis iustum poßit adesse decus.
Gallia legatum lætis susceperat vlnis,
Atq; suum coniunx est comitata virum.
Sic Mithridatæis coniunx errabat in armis,
Uxor Pompeio sic sociata fuit.
Dispare sed fato. Vis hos inimica premebat,
Mortuus est Thomas, hoste, minisq; carens.
Dum patriæ seruit, sors dum prosperrima fulget,
Ad gremium positus coniugis, æger obit.
Et placidam mors est vitam tranquilla sequuta,
Sic ego, sic vellem viuere, sicq; mori.

FLOSCVLI EX IESV
Sirach decerpti.

QVi sapit, aßiduè diuina volumina versat,
Audit & attentè dogmata sancta dei.
Qui domini voces iusto veneratur honore,
Ille deo seruit, gratus & ille deo.
Est domini verus res augustißima cultus,
Excitat is mentes, pectora læta facit.

Qui domino seruire studes, sis iustus, & antè
Horrida fortunæ fulmina disce pati.
Sobria tranquillæ præsit moderatio vitæ,
Sic bonus ipse bonis charior esse potes.
Quæ ratio penetrare nequit, perquirere noli,
Quod superat vires non subeatur onus.
Aspice mansuetus fractorum vulnera fratrum,
Pauperibus promptam ferto rogatus opem.
Sis animo constans, nec te circumferat aura
Quælibet, & varijs ire caueto vijs.
Ne doceas alios quod non perceperis antè,
Lingua potest decori, dedecoriq́ fore.
Vana leues nunquam sectetur lingua susurros,
Falsa nec in quoquam crimina sermo notet.
Allicit humanos animos oratio blanda,
Comis amicitias vndiq́ sermo legit.
Sit tibi quæ faueat quamuis numerosa caterua,
Sed tamen ex illis vnus amicus erit.
Qui sapit, illius te consuetudo iuuabit,
Eius & haud pigeat sæpè subire domum.
Pectora non inflet fastu pretiosus amictus,
Nec tibi, cum flores prosperitate, place.

IN OBITVM MARIÆ, PRIMÆ CONiugis Thomæ illustriss. ducis Norfolciensis.

ME Mariam Thomas, adolescens ipse, puellam,
Participem clari fecerat esse tori.
Nobilitas vtrinq; fuit, fuit ardor vtrinq;
Mutuus, annorum cursus & æquus erat.
Quicquid habet, nobis dederat natura benigna,
Contulit & virtus aurea, quicquid habet.
Inuida mors, rebus nunquam contenta secundis,
Me tibi, teq; mihi, chare marite, rapit.
Viue memor nostri Thoma, Surreia proles
Magna mei pars est, pars quoq; magna tui est.
Cresce puer, patriq; seni succedito fœlix,
Sic mihi post mortem vita redire potest.
Tuq; vale Thoma, fies qui sæpè maritus,
Prima tibi, sed non vltima cura fui.

IN OBITVM MARGARITÆ, SECVNDÆ coniugis Thomæ ducis Norfolciensis.

MArgaritam natura bonam, fortuna beatam
Fecit, erat partu nobilis, atq; toro.
Nupta duci Thomæ summos conscendit honores,
Addidit & claro pignora chara patri.

Sed nimium fœlix optat dum mater haberi,
  Desinit & coniunx, mater & esse simul.
Pallida mors, lætis semper contraria rebus,
  Inuolat in partus inuidiosa nouos.
Et puero saluo, matrem crudeliter aufert,
  Ah maneat potius mater, eatq; puer.
Fata vetant, sua quenq; dies ad funera raptat,
  Nobilis ô Thoma, te quoq; fata trahent.

IN ELISABETHAM TERTIAM coniugem.

CVmbria me sponsam, sponsam Norfolcia vidit,
  Illic eram comitis, hic ego sponsa ducis.
O me fœlicem, mea dum fortuna manebat,
  Sed fortuna diu nulla manere potest.
Sis animo magno mi Thoma, præterit ætas,
  Lubricus annorum cursus, vt vmbra, volat.
Est sua cuiq; dies, quæ vitæ tempora claudit,
  Me tulit illa dies, te feret illa dies.
Intereà serui patriæ, nostriq; memento,
  Quæ tibi non longo tempore iuncta fui.
Gaudia cœpta deus lugubri funere mersit,
  Sed tua restituent te mihi fata, Vale.

THOMAS DVX NORFOLCIVS DE tribus vxoribus vno ſepulchro conditis.

COniugibus tribus hoc poſui cōmune ſepulchrum,
Quas mihi viuentes iunxerat vnus amor.
Neſcio quæ melior mihi, vel iucundior eſſet,
Optima quæq́ fuit, intima quæq́ fuit.
Coniugio triplici fœlix, ter coniugis expers,
Heu nimium varias conqueror eſſe vices.
Parce deus, ſatis eſt, ter funera triſtia vidi,
Funus ego quartum, ſi licet, eſſe velim.

IN NOBILEM PVELLAM EX Suetia aductam in Angliam.

VIrgo per incertos caſus, terraq́, mariq́
Vecta diu, tandem facta Britanna fui.
Anglia promiſit feſſæ ſolatia vitæ,
Sed tamen ijs vti fata ſiniſtra vetant.

AVES INCLVSÆ IN caueam.

AVrea libertas toto pretioſior orbe
Fugit ab incluſis, ſerua caterua ſumus.
Sed tamen hoc tutas ſeptum nos vndiq́ ſeruat,
Omnis abeſt iſto vis inimica loco.

Scilicet interdum caueæ custodia prodest,
Et melius votis est caruisse tuis.
Ergo voluntatis motus ratione guberna,
Sic tibi conditio nulla nocere potest.

IPSE DE SE.

NOna mihi vitæ cœperunt currere lustra,
Cum patriæ feci commoda nota meæ.
Tempora doctrinæ studijs iucunda peregi,
Sed fortuna tamen sæpè nouerca fuit.
Semper eram magnus clari Ciceronis amator,
Otia dilexi, quæ sine lite forent.
Simplice natura vixi, neglector honorum,
Lingua silens, animus res agitando frequens.
Sum quatuor rebus fœlix, in principe, matre,
Coniuge, synceram præstat amicus opem.
Me duo perturbant hostes, calumnia, morbus,
Tertia crux, nomen non habitura, necat.
Fortè meos quisquam si vult cognoscere cursus,
Ultima cum primis iungere fata placet.
Est Cantabrigiæ studiorum regia sedes,
Nomine digna suo, digna parente suo.

Fontibus

Fontibus ex illis manarunt flumina noſtra,
Quicquid & in nobis extitit, indè fuit.
Seruus ad extremum regali verſor in aula,
Quæ ſit fortunæ meta ſuprema meæ.
Salua ſit Eliſabeth, multos longæua per annos,
Anglia diuina tuta fruatur ope.
Spiritus Haddoni feſſos cum deſeret artus,
Corpore depoſito, regna ſuprema petat.

AMATORIVM, INCERTO authore.

QVem tibi dant curſum fortunæ vela ſecundæ,
Hic tibi, dum venti flant, capiendus erit.
Nam benè nunc ſpirans, ſi poſt fortuna reflarit,
Omnis erit votis ianua clauſa tuis.
Sæpè dies dabit vna tibi, quod ſumere velles,
Quod niſi tunc ſumas non dabit vlla dies.
Tempus abit, tua vota manent, quod habere licebat,
Dum potes, haud cupis, at cum cupis, illud abeſt.
Euolat incertas quatiens occaſio pennas,
Quàq; iſt, hac rurſus non ſolet ire via.
Tempora cum noſtris rebus ſunt apta gerendis,
Omnia ſublato ſunt facienda metu.

Qui cupit e portu soluens conscendere nauem,
Quò reuocat ventus, flectere vela solet.
Qui sua mercator vult multum crescere lucra,
Tempora vendendis mercibus apta notat.
Miles in aduersos qui telum dirigit hostes,
Antè videt tempus vulneris, atq; locum.
Temporibus certis medicus sua pharmaca miscet,
Tempora dicendi propria rhetor habet.
Tempora piscator, sua tempora nouit & auceps,
Tempora scindendi nouit arator humum.
Solus ego nauta sum, mercatoreq; solus,
Milite sum solus stultior, & medico.
Rusticus, & rhetor, vanus piscator, & auceps,
Ingenium vincunt, sordida turba, meum.
Tempus erat quando poteram placuisse puellæ,
Hei mihi quod non est, & quia tempus erat.
Tempus erat quando dominæ mihi iuncta voluntas,
Omnia quæ vellem, vellet & ipsa sequi.
Tempus erat quando solus, totusq; placebam,
Quando fui dominæ, spesq;, decusq;, meæ.
Tempus erat quando dulcißima murmura fundens,
Conseruit labris labra puella meis.

Tem-

Tempus erat, quando mea me si forte puella
　Aspiceret, toto corpore mota foret.
Tempus erat, quando si solum nacta fuisset,
　Venit in amplexus læta, lubensq́ meos.
O me fœlicem nimium, bona si mea nossem,
　Tempore si scissem se mihi dante frui.
Multa quidem volui, sed cur non omnia feci,
　Quò mea mens cupijt, cur vetat ire pudor?
O pudor infœlix, cur nos disiungis amantes?
　Cur facis ex vno pectore corda duo?
Sed neq́ solus erat pudor, aduolat altera pestis,
　Quæ mihi te tollit, meq́ puella tibi.
Dum ruit in collum virgo cultißima nostrum,
　Oscula dum sua dat multa, capitq́ mea,
Dum studijs ferimur Veneris, dum ludimus vnà,
　Dum venit ad nullum cæca Cupido modum:
Deficit is ardor sensim, seseq́ retexit,
　Flammaq́ quod fuerat, nunc propè fumus erat.
Subtraho paulatim me, suffurorq́ puellæ,
　Oscula quæ fuerant, nunc ea verba volant.
Senserat, atq́ caput virgo demittere cœpit,
　Pallet, & aspectu proditur ipsa suo.

 Aduoco,

Aduoco, discedit, reuoco, se proripit intus,
  Oscula vel non dat, vel quasi nulla daret.
O mea non vllas in partes pectora firma,
  Cur mea mens nunquam se capere ipsa potest.
Antè quasi crapula, Veneris fastidia sensi,
  Nunc quasi ieiunus sum, cupioq́ cibum.
Sensit & hoc, moremq́ mihi pulcherrima gessit,
  Et redit ad nostrum, nostra puella sinum.
Sed tamen & dubitans venit, & quasi nollet adesse,
  O nimis ad luctus ingeniosa meos.
Sæpè quasi cupiat discedere, plurima dicit,
  Sæpè meis manibus prensa, repentè fugit.
Hæc mihi calliditas, ardentes excitat æstus,
  Quo magis hæc non vult, hoc magis ipse volo.
Hæc ego dum meditor, dum tota mente peragro,
  Vt dominæ menti, mens sit amica meæ:
Exoritur subitò matris non dura seueræ,
  Dura tamen nobis visa querela fuit.
Seuocat, & rogat, an liceat sibi quærere pauca,
  O mihi quàm libuit dicere, quæso, tace.
Sed quia me captum vidi, ceruice reflexa,
  Atq́ rubens dixi, hoc sit modò vt ipsa voles.

Incipit, vt facilè matronam agnoſcere poſsis,
Sermo fuit, qualis matribus eſſe ſolet.
O vtinam ſapiens minus, aut grauis illa fuiſſet,
Aut vtinam ſapiens, & grauis ipſe forem.
Mater ait, gnatæ rationem cogor habere,
Cuius ego fructus, commoda credo mea.
Dicitur hæc vxor tua vulgi voce futura,
Inq; manum dicunt, hanc coiſſe tibi.
Multa quidem multi narrant, mihi mira videntur,
An mea iam gnata, eſt vxor amabô tua?
Hîc ego deijciens vultumq;, caputq; pudore,
Vix potui, non eſt, dicere, dico tamen.
Illa ſtatim recitat multorum facta dierum,
Fœmina tam meminit, quæ miminiſſe velit.
Tempora percenſet ludorum, colloquiorum,
Et quoties ſolos viderit eſſe ſimul.
Quomodo non vnquam noſtrum turbauerit vſum,
Libera concedens gaudia, verba, iocos.
Tempus ait, nunc eſt tacitos expromere ſenſus,
Iam ſatis eſt ludo, delitijsq; datum.
Seria tractemus, vero mihi dicito vultu,
Qua ratione tibi filia noſtra placet.

Perplacet hæc, inquam, ſed nulla in fœdera veni,
Non ea congreſſus cauſa frequentis erat.
Neſcio quid titubans addit perplexa dolore
Lingua, nimis luctus cauſa parata mei.
Summa fuit, ſponſam non eſſe, nec eſſe futuram,
Hei mihi, quas turbas iſta futura dedit.
Impia vox, ſcelerata, nequam, ſtupidiſsima, bruta,
Grammaticen vnquam me didiciſſe piget.
Væ mihi, væ libro, væ præceptoribus illis,
A quibus erudior poſſe futura loqui.
Intumuit mater, ſtimuliſq́ elata doloris,
Iurgia iam parat, & ſpargit acerba minas.
Ergo tibi quoniam non eſt mea gnata futura
Vxor, in his poſthac ædibus, hoſpes eris.
Obterit is rumor famam gnatæq́, tuamq́,
Non decet vt fruſtrà talia verba volent.
Filia multorum votis optata procorum,
Quem vult ex multis eliget. Ergo vale.
Hæc vbi, me toruè ſpectans, effata fuiſſet,
Auribus aut quæ ſunt talia viſa meis,
Illicò diſcedit mihi mens, & lingua ſtupebat,
Et, quaſi me ſomnus deliget, aſto tacens.

Proti-

Protinus, vt memet collegi, ſede relicta,
Exilui, multum triſtia fata querens.

CONFESSIO PECCATORIS,
incerto authore.

ET merui, & fateor, vel ſi tua ſæuior ira,
Putria ſulphureo fulmine membra cremet.
Omnia peccaui, cœlum mea crimina vidit,
Dedecoris noſtri conſcia terra fuit.
Prodigus ille ego ſum, probri ſum filius ille,
Qui patrias luxu proijciebat opes.
Corpus erat iuueni firmum, nec gratia formæ
Defuit, ingenij vis mediocris erat.
Cultus & acceßit doctrinæ, regula vitæ,
Prouida ſi normam vita tenere velit.
Sed mea feruentem cum tertia luſtra iuuentam
Proueherent, rapidis in vada cæca rotis:
Crapula frangebat corpus, formæq; decorem,
Crebra valetudo depopulata fuit.
Corporis has labes, mentis comitata ruina,
Dißimilem fecit me nimis eſſe mei.
Singula quid memorem? Noſti deus omnia, noſti,
Omnia ſunt oculis obuia facta tuis.

Plus ego deliqui primis peccator in annis,
Tempora quàm propè sunt talia visa pati.
Longa dies misero luxu, ludoq; peribat,
Nequitijs nox est accumulata nouis.
Otia, fastus, amor, gula, corruptela placebant,
Mollities, plusquam fœmina, nostra fuit.
Iamq; ita regnabat victrix in carne voluptas,
Ut nisi peccatum, nil mea vita foret.
Sed pater indulgens, cælo miseratus ab alto,
Tabifica fixit membra soluta lue.
Ilia perpetuò binos fluxere per annos,
Omnia manabant, spiritus, esca, cruor.
Exuuias spectans tenues, matieq; peresas,
O ego quàm vellem tunc potuisse mori.
Sed deus auertit cladem, morboq; fugato,
Perfudit succis languida membra nouis.
Et mihi restituit plenas in corpore vires,
Adfuit ex omni reddita parte salus.
Sic ope diuina media de morte reuixi,
Sic, fugiens longo tempore, vita redit.
Addidit vxorem domini clementia talem,
Qualis erat summo fœmina digna toro.

Nil

Nil melius toto, toto moratius orbe
Nil erat, ô sexus gloria magna tui.
Te nimium fœlix viuebam coniuge coniunx,
Nunc nimium sine te coniuge, viuo miser.
Magna mihi fulsit cœlestis gratia patris,
Nam sat opum fuit, & sat benè culta domus.
Principis & seruus mediocri nomine vixi,
Et reliqua fœlix conditione fui.
Sed deus immemori rursus mihi pectore fluxit,
In veteri cœno mens reuoluta iacet.
Otia sectabar molli plenissima luxu,
Clamat Iö Bacchus, clamat Iöq; Venus.
Tu deus è cœlo prospectans, omnia cernis,
Supplicium differs, ad meliora vocas.
Cumq; diu veniam spreuisset culpa rebellis,
Nec leuitas vllum nosset habere modum:
Pallida mors subitò teneræ per coniugis artus
Permeat, & telo guttura rauca fodit.
Exclamo, iactoq; manus, & numina testor,
Numina peccatis aspera facta meis.
En ego peccaui, tua mors huc spicula transfer,
Ille ego sum dextræ victima iusta tuæ.

Nil ea commeruit, proh dilectißima coniunx,
Vulnere cur tanto crimina nostra luis?
Posco deum supplex veniam, peccataq; damnans,
Ingemo, suspiro, deprecor, atq; fleo.
Sera venit miseræ nostri medicina doloris,
Instat anhelanti mors, animamq; rapit.
Et mihi præteriens, vxoris fata querenti,
Ptotulit horribili verba timenda sono.
Stulte, quid vxorem tibi lamentaris ademptam?
Viuit, & est eius mens sociata deo.
Fœmina casta fuit, melioreq; digna marito,
Ciuis habet cœli præmia, pœna tua est.
Tu tibi flendus eris, peregrinas missus in oras,
Accipies vitæ præmia iusta tuæ.
Sæpè mori cupies, me nomine sæpè vocabis,
Non veniam, pestis lurida membra teret.
Principia ista mali, dixit, torueq; reflectens
Lumina, discessit, mî pauor ora premit.
Vt me collegi tandem, & lux reddita menti est,
Sic cœpit timidis hiscere lingua sonis.
Ergo meæ coniunx pars optatißima vitæ
Solueris in cineres, nec reditura fugis?

Non

Non licet amplecti, non vltima perdere verba?
Inq́ sinus lachrymas non licet ire tuos?
Sed lachrymæ valeant, serò quas fundere cœpi,
Vindicis ira dei cum manifesta fuit.
Tuq́ simul coniunx æternum chara valeto,
Quàm tua, quàm vellem funera posse sequi.
Sed mihi plura deus culpæ tormenta parauit,
Mors abiens diras est minitata cruces.
Vt potero patiar, fiat diuina voluntas,
Ecce creaturam, me deus alme, tuam.
Sic fatus, proprias ædes, & cuncta relinquo,
Coniugij nimium tristia signa mei.
Iudicium domini iustum, quia rebus abusus
Antè meis fueram, nunc aliena sequor.
Auehor huc, illuc, obeo modò rusticus agros,
Vrbs in rure iuuat, sors mihi neutra placet.
Solus in abstrusam correpo sæpè latebram,
Expleor & mœrens, & gemitu, & lachrymis.
Cum mihi sic vnus transisset mensis, & alter,
Visaq́ sunt vitæ tædia longa meæ:
Principis externas iussu delegor in oras,
Qua melior non est vlla, nec esse potest.

Nauigo spumosi contemnens murmura ponti,
Naufragus in terris æquora tutus aro.
Vt tetigi terram, meq; intra tecta recepi,
Abijciens viduo languida membra toro:
Tum nimium longo notus mihi tempore cœpit
Humor, in assuetis luxuriare locis.
Vt licet occurro, diuersa remedia tentans,
Et res successus cœpit habere bonos.
Publica conclusum commissa negotia finem,
Omnia post longas cum reperere moras,
Cumq; sua iam quisq; via procedere cœpit,
Et mihi migrandi maxima cura foret:
Ecce nouis subitò flammis succensa fuerunt
Membra, furens vrit corpora sicca calor.
Decolor est facies bilis suffusa veneno,
Spargit & inuisas morbus vbiq; notas.
Occupat indè manus, & ibi sua vulnera pingit,
Et propriam ponunt brachia tincta cutem.
Corpus & oblinitur totum fuligine nigra,
Nil vt erat superest, omnia bilis habet.
Deijcio vultum, lachrymas & spontè cadentes
Fundo, deum tacitus supplice voce precor.

O pater

O pater in cœlis, qui ſolus numine ſeruas,
Quicquid habet tellus, quicquid & aer habet:
Parce pater, miſeros non audeo tollere vultus,
Occupat infectas pœna ſeuera manus.
Lingua mihi propè ſola vacat, ſunt cætera iuſto
Fulmine vindictæ ſaucia facta tuæ.
Lingua quoq; ex merito debebat muta manere,
Nequitiæ nimium prompta miniſtra meæ.
Sed deus hanc voluit teſtem ſupereſſe malorum,
Ut propria fierem voce fatente reus.
Sum reus, ô fateor, veniam pater omnia faſſo
Da, ſuperet noſtrum gratia magna ſcelus.
Eſt ſcelus immenſum, tamen eſt tua gratia maior,
Gratia peccatis ſit medicina meis.
Nil medici proſunt artes, nil pharmaca præſtant,
Nec niſi placato ſpes erit vlla deo.
Non ego te poſſum, Chriſti te victima placet,
Victima pro noſtris eſt ea ſola malis.
Chriſte deus, filiq; dei, tua numina poſco,
Effice propitium tu mihi, quæſo, patrem.
Ignoſcat planè faſſo, vereq; dolenti,
Pœnitet, hæc miſero vox mihi ſola manet.

Scilicet hoc nihil est, nisi quòd clementia patris,
Hoc bonitate sua sanciat esse satis.
Omnibus hoc satis est, qui te seruator Iesu,
Supplice mente colunt, intrepidaq; fide.
Talia cum lachrymis fatus, me dedo dolori,]
Mæstus & in lectum me reuoluto meum,
Multa querens, mortemq; petens, vitamq; perosus,
Conditus in tenebris, mæstitiaq; fruens.
Gratia sed domini non desertura fideles,
Gratia, fœlices quæ sine fine facit,
Astitit afflicto, sensi noua gaudia mentis
Attonitus, tandem vox ita visa loqui.
Te deus, ærumnasq; tuas, verosq; dolores
Respicit, & culpam displicuisse videt.
Scilicet hoc voluit patris clementia summa,
Cum quateret sæuas bilis adusta faces:
Vt vitij sordes, flammis excureret ignis,
Pelleret vt turpi crimina corde dolor.
Multa deus dederat magni monumenta fauoris,
Et nisi quòd nolles esse, beatus eras.
Et deus erranti multumq; diuq; pepercit,
Iustitiæ cupiens immemor esse suæ,

Tempore

Tempore si veniam voluisses poscere culpæ,
Tempore si posses displicuisse tibi.
Sed quia nolueras, loris vindicta flagellat
Tristibus, & pœnas accumulando furit.
Sed tu fide deo, nec cura corporis æstus.
Corpus enim cinis est, in cineresq́ redit.
Spiritus ascendet cœlestes liber ad oras,
Inter & æternos distribuere choros.
Sit tua mens sursum, terrestres abijce curas,
Crux facit hæc, dignum te magis esse deo.
Filius est verus domini, quem virga coercet,
Spurius est, pœnis si malefacta carent.
Sis animo magno, vincat patientia morbum,
Afferat æternos vita futura dies.
Dixit, & internos sensi recalescere sensus,
Et redit in proprium mens recreata locum.
Spiritus est hylaris, reuirescit pectoris ardor,
Reddor & ex omni parte renatus homo.
Omnia præsentis sperno ludibria vitæ,
Vita nec ista iuuat, sed magis opto mori.
N[illegible] velut antè, dolent morbo deformia membra,
Nescio quo morbus iam placet ipse modo.

Si valeam rursus, rursus languere necesse est,
Mors hodiè parcens, cras reditura necat.
Non ego vel menses posthac numerabo, vel annos,
Hora sit interitus illa, vel illa mei.
Corpora debentur morti, mens quærat olympum,
Semper & authorem cogitet illa suum.
Qui legis hos versus, nostras aduerte ruinas,
Disce carere malo, disce timere deum.
Sera licet veniat, veniet (mihi crede) cruentis
Paßibus, & pœnas ultio iusta feret.

FINIS.

Cum sit aetatis tibi cursus arct[illegible],
Quid iuvat nummos cumulare nimis?
Dives est Pluto, satis et Charontis
[illegible]
Qui suum censum cupide petivit,
ponet invitus, cupide petitum;
Jam senescenti satis est, paratis
[illegible] bonis.

ERRATA GRAVIORA INTER excudendum commissa.

In orationibus.

Folium.	*Linea.*	*Erratum.*	*Correctio.*
7	8	Multiplicum	Multiplicium.
37	8	Scientia	Sententia.
41	6	Saguinis	Sanguinis.
56	17	Metuamus	Metuimus.
76	8	Adhibere	Adhiberi.
94	15	Præpauerim	Præparauerim.
105	22	Precatum	Peccatum.
113	11	Spopondimus	Spoſpondimus.
132	16	Fraetus	Fretus.

In epiſtolis.

150	20	Præcipiat	Percipiat.
173	10	Diputari	Diſputari.
264	19	Diui	Diuini.
329	6	Qui	Quæ.

In Poematibus.

1	11	Crimine	Crimina.
77	6	Reperit	Repperit.
85	12	Cades	Cadis.
99	22	Profuit	Præſtitit.